











INDEX SCHOLARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A DIE XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXCII VSQVE AD XIV. M. MARTII A. MDCCCXCIII

HABENDARVM.

DE STATI SILVIS commentationem FRIDERICVS LEO praemisit.

GOTTINGAE Prussia
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.
WILH. FR. KAESTNER.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

VDALRICVS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

CVM SENATV.

Stati silvarum verba intellegere difficile est, ipsa carmina intellegere aliquanto difficilius, licet in verbis occupati critici de carminum forma ac natura quaerere fere distulerint. nempe qui ista curant satis habere solent silvarum nomen ex Quintiliani loco repetere, qui non est de carminibus, vel carminum argumenta ex occasionibus sumpta esse dicere vel poetam, ut saepe dictitat, carmina velociter fecisse, unde sine cura facta esse ultro colligunt. sed quae sit horum libellorum singularis condicio, quomodo explicanda argumentorum et electio et tractatio, gravis quaestio est quaeque ad poesis Latinae historiam quam maxime pertineat. neque vero eam scriptione extemporali temptarem, nisi per hoc ipsum scribendi genus liceret perstringere quae penitus pervestigare vel exhaurire non vacaret.

Post Ovidi elegias in litteris Latinis illa prima est poematum collectio praeter Phaedri fabulas Calpurni bucolica Persi saturas; sed Phaedrus Aesopi *semitam fecit viam*, non Romanum genus excoluit; Calpurnius poeta Vergilianus est, et cum aliis Musam bucolicam post saeculum resuscitavit, ut Neronea aetas iuxta Augusteae initia poneretur; Persius Horatianus vel Lucilianus, quamvis in ludo rhetorico nutritus sit. contra Statius in silvis plane diversus non ab illis, cum quibus nemo comparabit, sed ab Ovidio et elegiacis aliis, ad quorum coetum sine dubio pertinuisset, si cum illis vixisset. diversus est et metro, nam elegos nullos habet et metra in uno libro varia, et argumentis, nam genera quaedam argumentorum praevalent ab illis aut nusquam aut raro usurpata, et scribendi ratione, nam aut ex tempore aut celerrime ista carmina composita esse iterum iterumque curat ut lector sciat; nimirum Ovidius poeta facilis fuit, sed minime quae ex tempore iecisset populum legere volebat et Crispinus videri. ista diversitas temporum est et ex rerum ac litterarum natura explicanda; atque occasione licet nata sit musa silvarum, natalicia eius non naturam enarrat qui ad occasionem rettulisse contentus est.

Sane non dico aliud poematum syntagma nullum inter Ovidium et Statium comparuisse; sed nobilis poetae quod adferam nescio praeter Lucani scilicet silvas et Senecae vel Petroni si quod fuit volumen epigrammatum. quae praeterea innotuerunt aut poetae nomen non sui sed Vergili Ovidive nullumve tenent aut cum innumera aliorum multitudine brevem diem habuerunt et iam nulla sunt; litterarum autem historiae gradus et progressus non ea ostendunt quae vix nota perierunt vel casu non perierunt, sed eminentium ingeniorum monumenta. non enim de bibliopolarum fatis quaerimus. ergo nec codicis Vossiani carmina nec Stellae Asteris nec *qui compositos metro Tibulli in Stellae recitat domo libellos* nec Calpurni Pisonis *καταστερισμοί* vel Passenni Pauli *opus plane in Properti domo scriptum* comprobare possunt, post Ovidium extitisse elegiam Romanam; quae cum Ovidio mortua est. id comprobat Quintilianus, qui in elencho poetarum post Ovidium nullum aut nominat aut indicat, cum epicos nominet multos atque multum in Valerio Flacco *nuper* amissum esse dicat, in satura Persium memoret adiciatque: *sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur*, in tragoedia Pomponium *eorum quos viderit* longe principem dicat. ut elegiae, ita iambi et comoediae nullum novit veterum successorem; nam lyricorum quod Horatium fere solum legi dignum ac deinde si quem adicere velis eum esse Caesium Bassum ait, sed eum longe praecedere ingenia viventium, Bassus quidem quatenus poeta fuerit ipse viderit, viventium autem ingenia eum longe praecedere facilis vel adulatio est vel offensae vitatio; nos unum aestimare possumus ante Statiana quaedam Horati lyrici successorem Senecam choricorum poetam, ac scimus illud quoque carminum genus cum auctore vixisse. ex altera parte tragoediam, ex altera saturae varia genera novo saeculo adaptare studebant; florebat per primum imperatorum aevum unum epicum genus, excultum illud a decoris ingeniis quae, ut Tacitus ait, ab historia scribenda gliscens adulatio deterrebat.

Est locus in Stati silvis, quo Elegiam inducit eo invento, quod mutatam elegorum condicionem tamquam imagine illustret. sed ut in libris et editionibus leguntur, versus intellegi nequeunt. sunt in exordio carminis quod Stellae nuptiis Statius dedicavit; lepidis verbis depingit ut Musarum choro se inseruerit Elegia et decima videri velit (I, 2, 7):

quas inter vultu petulans Elegea propinquat,
celsior adsueto, divasque hortatur et ambit
alternum factura pedem decimamque videri
se cupit et medias fallit permixta sorores.

quid poeta voluerit non satis apparet propter corruptum in horum versuum tertio participium. certe propter Stellae elegos deam arcessivit, eadem de causa poetas hortatur v. 250 *praecipue qui nobile gressu extremo fraudatis opus*, *date carmina festis digna toris;* sed cur *vultu petulans* Elegia venit, qui fit ut *celsior adsueto* veniat, ut medias sorores permixta fallat? quid facit alterno pede? hoc scilicet sciemus cum illas quaestiones solverimus. habet aliquid quod occulere velit, ergo petulans venit; illud celsiorem eam facit, illud permittit ut decima videri possit, ut sorores fallat; *ambit* autem velut dux milites et hortatur: nunquam falleret ambiens, si *pes illi longior alter* foret. ergo alterum pedem suffulsit. in Sangallensi quid fuerit non constat; *factura* in Vindobonensi prima, in Matritensi secunda manu scriptum est (utriusque codicis ut Rehdigerani lectionem peto ex Herzogi libello de Stati epithalamio, Lipsiae 1881), *fultura* Rehdigera-

nus habet, *futura* Matritensis. et *factura* qui defendit Gronovius infeliciter defendit et quae alii coniecerunt *fractura tractura sectura tactura* et eius generis alia perinde falsa sunt et sensui contraria, nam futuri temporis nulla ratio est. quod qui recte exposuit Handius ipse recepit *fultura* et apte attulit Vergili Aen. XII, 386 *alternos longa nitentem cuspide gressus* et Sili VI, 79 *lapsantes fultum truncata cuspide gressus.* sed futuri notionem ne ita quidem explicare potuit, et plane inepta est pedem *fultura* quae iam *ambit;* IV, 6, 21, quo loco Handius utitur, *locuturae cerae* sunt quae loqui velle videntur. una emendatio est et necessaria, licet non lenissima sit, *alternum suffulta pedem.* Elegiam igitur Statius inducit hexametris studentem, elegos a sua arte alienos esse suumque ipsius carmen non elegiacum sed heroicum etiam ab Elegia commendari innuit. hoc Stellae poetae gratia invenit, quamvis epithalamio hexametri conveniant post Theocriti Helenam (cf. Kaibelius Herm. XXVII p. 249), ut praeter alia Senecae hexametri in Medea v. 110 sq. ostendunt. eodem respicere videntur quae in praefatione dicit: *epithalamion tuum, quod mihi iniunxeras, scis biduo scriptum. sed tantum tamen hexametros habet;* ubi ineptum est numerum versuum inserere, omisso *tamen* legendum est *sed tantum hexametros habet.*

Ad elegiam certe silvarum argumenta pertinere partim poterant, quamquam amatorium nullum est praeter arborem Atedi (II 3); sed epicedia Propertius Ovidius elegiaci alii composuerunt (silv. V, 3. 5 et consolatoria II, 1. 6; III, 3; V, 1), gratulatoria Tibullus et Ovidius (silv. I, 4; IV, 1. 8), propemptica sunt praeter alia Properti ad Tullum, sed hexametris compositum Cinnae (silv. III, 2, cf. V, 2); elegiam dixeris Earini capillos et de Berenicae cogites (III, 4), elegiam precationem somni (V, 4), sed tantum hexametros habent. aliorum carminum legitimum metrum hexametri sunt, ut epithalamii, ut epistulae (IV, 4) et sermonis quem dicit (III, 5); genethliacon Lucani (II, 7) quod hendecasyllabis composuit excusat (ut Martialis VI, 65 epigramma hexametris scriptum): *ego non potui maiorem tanti auctoris habere reverentiam quam quod laudes eius dicturus hexametros meos timui* (praef. II), scilicet panegyrico carmini hexametri conveniunt (cf. V, 2). de arbore et psittaco eclogas ipse dicit *quasi epigrammatis loco* scriptas et eandem stili facilitatem exegisse leonem mansuetum (praef. II), quod argumentum multis epigrammatis Martialis tractavit; avis mortem in elegiam ex epigrammate Ovidius demum traduxit (cf. A.P. VII, 189—216). praeterea duo habet lyrica Horatiana et hendecasyllabos quales succinctiores Catullus et Martialis faciebant (IV, 5. 7. 9).

Quae nondum memoravi carmina, ea ad unum argumenti genus omnia pertinent: describuntur ecus, kalendae, via Domitiana (atque kalendae quidem et via hendecasyllabis), villae Vopisci et Felicis, balneum Etrusci, Heraclium Felicis et Hercules Vindicis; eodem pertinet non arbor Melioris, sed gratiarum actio ad Domitianum, quae est cenae cum domino descriptio. atque ab elegia non aliena erat descriptio nec locorum, ut Properti Apollo Palatinus ostendit, nec festorum, ut Ovidi Iuno Falisca et multa post Callimachi Aetia in fastis; sed genus descriptivum excoli in elegia non potuit: eidem fasti ut lavacrum Palladis et ultimus Properti liber vel Tibulli Ambarvalia doceant quid eo argumenti genere elegia faciat. omnino non ex elegia in Stati poesin descriptio devenit, sed ex ludo et arte rhetorica. certum locum, etsi a quibusdam non receptam esse Hermogenes tradit (rhet. graec. II p. 17 Sp.), in praeexercitamentis descriptio habet, quam sic Theo definit (p. 118): *ἔκφρασις ἐστὶ λόγος περιηγηματικὸς ἐναργῶς ὑπ᾽ ὄψιν*

ἄγων τὸ δηλούμενον, item sequentes rhetores, nisi quod apud Hermogenem ἐναργῶς fere in libris abiit in ἐναργὴς καί, in Prisciani codice intercidit ἐναργής (II p. 438 *descriptio est oratio colligens et praesentans oculis quod demonstrat*). exercitationis bellum exemplum praebet in Frontonis litteris epistula M. Caesaris III, 7 et Frontonis responsum, qui imaginem ab illo propositam exponit et orationis argumento accommodat (cfr. Nicol. prog. III, 492 sq. Sp.). ea exercitatio in sophistarum litteras quantum valuerit notissimum est, ad artium descriptiones quae spectant tractavit Matzius de Philostratorum fide p. 7 sq.; scilicet facile exercitatus rhetor eo pervenit ut non orationi tantum iconismos (Sen. epist. 95, 66) destinaret, sed propria opuscula elaboraret: οὐδὲν ἴσως ἂν κωλύοι καὶ ὡς ἀρκοῦσάν ποτε αὐτὴν πρὸς ὅλην ὑπόθεσιν ἐργάσασθαι, ut Nicolaus ait (l. s.). in Romanorum litteris iam prius ἐκφράσεις data opera compositas novimus; nihil aliud scilicet in Plini epistulis descriptiones sunt praediorum Tuscorum et Laurentini (V, 6; II, 17), villarum ad Larium lacum (IX, 7), fontis Clitumni (VIII, 8), lacus Amerini (VIII, 20), Tiberis et Anienis egressorum (VIII, 17). quod vero post Tuscorum descriptionem his verbis utitur (V, 6, 44) *totam villam oculis tuis subicere conamur*, scholasticam illam definitionem sapit, et quod hoc sensu illa circumdedit: *vides quot versibus Homerus, quot Vergilius arma, hic Aeneae Achillis ille, describat; brevis tamen uterque est quia facit quod instituit. vides ut Aratus* e. q. s. *similiter nos — cum totam villam oculis tuis subicere conamur, si nihil inductum et quasi devium loquimur* (cf. § 43 *si aliquid arcessit atque attrahit*) *non epistula quae describit, sed villa quae describitur magna est*, haec ex disciplina dicta sunt, cf. Theo p. 119, 27 ἀρεταὶ δὲ ἐκφράσεως αἵδε, σαφήνεια μὲν μάλιστα καὶ ἐνάργεια τοῦ σχεδὸν ὁρᾶσθαι τὰ ἀπαγγελλόμενα, ἔπειτα τὸ μὴ τελέως ἀπομηκύνειν περὶ τὰ ἄχρηστα. scuti autem Homerici exemplum item scholasticum est; v. Theo ibid. v. 25 et p. 118, 23. sane ut in historia, cuius sunt apud rhetores sollemnia exempla Herodotea et Thucydidea, sic in poesi descriptiones eo consilio factae, ut res quasi oculis legentium subicerentur, numquam non locum habuerunt; nonnullos poetarum graecorum et romanorum locos congessit Rohdius griech. rom. p. 336; atque consentaneum est nusquam plures et magis ex arte factas descriptiones deprehendi quam apud poetas quorum ars cum studiis rhetoricis artissime coniuncta est, Ovidium Senecam Lucanum. sed proprii carminis argumentum ἔκφρασις non fiebat, nisi quod epigrammatum poetis artis opera praesertim docti lusus argumenta praebebant; neque enim scimus, talia exempla qualia ex Properti et Ovidi elegiis attuli ad Graecorum consuetudinem pertineant an ad epigrammatum potius imitationem se applicuerint, quorum cum elegis Properti et magis etiam cum Ovidi eroticis certa adfinitas est. Christodori autem ἔκφρασις statuarum in Zeuxippi gymnasio positarum et ipsa ex epigrammatis composita est. Stati igitur descriptiva carmina nova et Statiana sunt atque originem suam prae se ferunt; nova dico in litteris, nam alii ante eum quin talia composuerint et taciturnitati mandaverint non dubitandum est; exemplo sit Lucani *de incendio urbis* libellus prosa oratione compositus (Sueton. p. 79 Reiff.). fit autem apud rhetores ἔκφρασις προσώπων τε καὶ πραγμάτων καὶ τόπων καὶ χρόνων. ad personas pertinent Stati ecus et Hercules, ad locos villae balneum templum via, ad tempora kalendae et cena; nam descriptio est χρόνων οἷον ἔαρος θέρους ἑ ο ρ τ ῆ ς καὶ τῶν τοιούτων. mera ἔκφρασις est villarum Herculis cenae, sed cum dominorum laude; exordia ad numina auctores carminis habent, quibus poetica magis fiant, balneum et kalendae, personas deorum vel heroum ecus templum via; qualia item

ut multus omnium ornatus poetae consilium adiuvant, non carminum naturam demutant. post Statium et Plinium quas descriptiones vincta solutaque oratione litterae latinae tulerint notum est; neque enim ad Ausonium et Apollinarem perducere disputationem volo. illud addam, mirum consensum esse et fortasse scholasticis exemplis debitum inter haec Stati I, 3, 95 *haec per et Aegaeas hiemes Hyadumque nivosum sidus et Oleniis dignum petiisse sub astris, si Maleae credenda ratis Siculosque per aestus sit via: cur oculis sordet vicina voluptas?* et Plini epist. VIII, 20, 1 *ad quae noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita neglegimus* e. q. s.

Quod si quaeras, quo iure ad artem rhetoricam carminum latinorum originem ac naturam referam, non satis notum est, licet multi sciant, neque ab ullo satis expositum, quantum in poesin Romanam disciplinae rhetoricae exercitatio valuerit. atque graecae quidem artis iam in Enni elocutione facies apparet; nos de latina loquimur, quae ante Ciceronis pueritiam Romae non constitit. ego cum de Ovidio et Seneca aliis locis egerim, nunc ut ipsius rei fidem augeam, duo capita attingam, quorum prius ad ipsa illa artis latinae initia pertinet et, si res ita se habet ut ego opinor, ostendit in ipsis versibus formandis primum poeticam a rhetorica adiutam esse. agitur de severioribus quibusdam normis in arte metrica latina in formando hexametrorum versuum exitu inde a Ciceronis tempore observatis. Guilelmus Meyerus noster cum luculenter comprobaverit (relat. acad. Bavar. 1885 p. 1033 sq.), in hexametro latino vocabulum propterea non finiri in quinta arsi, quod poetae novelli graeci eandem legem certa de causa sibi scripserint, ipse ambiguus haesit, cur non a quadrisyllabis (quod inde sequitur), sed etiam a plurium syllabarum vocabulis (nam spondiaci versuum exitus huc non pertinent) latini poetae in fine versus abstinuerint, cum neque Ennius *aequiperare* vel *sapientiloquentes* nec Lucilius *dimidiatam* vel *cercopithecon* vitet neque vero Callimachus *ἀμφιβέβηκεν* vel *συνεπιψεύσονται*: ut non credamus, quadrisyllaborum fugam etiam polysyllaba traxisse, siquidem nec graecis versibus simile accidit nec polysyllaba vitata efficiunt ut oxytonesis in versus exitu vitetur. altera observatio est, ut monosyllaba in hexametri exitu fere non ponantur inde a Ciceronis versibus; quibus vitatis cum vitetur oxytonesis cumque norma eadem praeter alia versuum genera in versibus scaenicis regnet (cf. Meyerus in act. acad. Bavar. 1884 p. 45 sq.), forsitan peculiaris ratio de hexametro non quaerenda esse videatur, quamquam neque Ennius Lucilius Lucretius Horatius vitaverunt quae vitavit Horatius in lyricis neque Callimachi ars ista respuit *ἀνθέρικος ὥς, ἐξέλετο Ζεύς*. tertium est quod vocabulum in quinta arsi terminatum ea lege admitti solet, ut ionicus a minore versum concludens non uno quadrisyllabo sed duobus disyllabis constet; cuius rei probabilem rationem nusquam vidi adlatam. has igitur clausularum leges in artem metricam latinam ex rhetorica de verborum compositione doctrina commigrasse conicio, atque de prima saltem ac tertia res comprobari posse videtur. notus est Quintiliani locus, in initio mala fortuna mutilatus, IX, 4, 63, quo clausulam quamlibet compositam gratiam perdere ait, si ad eam rupta via venerimus; illa scilicet Demosthenis *τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις* et *κἂν μήπω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ* ab omnibus fere probari, Ciceronis ista carpi *familiaris coeperat esse balneatori* et *Apronium terrestrem archipiratam*, nam cum idem finis sit in his et illis, illis clausulis quae praecedant esse severiora (tantum spondeum in fine spectat Diomedes p. 469). deinde pergit: *est in eo quoque non nihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est praemolle,*

nec solum ubi quinae, ut in his, syllabae nectuntur, 'fortissima Tyndaridarum', sed etiam quaternae, cum versus cluditur 'Apennino' et 'armamentis' et 'Orione'. quare hoc quoque vitandum est ne plurium syllabarum verbis utamur in fine (ubi eandem clausulam affectavit quam habet **θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις** antecedentibus longis syllabis ut in **κἂν μήκω βάλλῃ μηδὲ τοξεύῃ**). atque de spondiazontibus quidem grammatici multi dixerunt; de quinarum syllabarum verbis illud ex raris admodum est disciplinae poeticae praeceptis testimonio firmatis, non nostra observatione. Quintilianus autem non loquitur quasi rhetorica ars poeticae regulam tradiderit; tamen cum spatium saeculo longius inter receptam regulam et Quintiliani verba intercedat, hoc non facit ut dubitemus quin a rhetorica venerit quae sit ignota graecis poetis et veteribus latinis. vides hoc idem pertinere ad tertiam quam tetigi observationem, quae est de exitus quadrisyllabi divisione; apertius enim Quintilianus loco subsequenti (§ 97): *non nihil est quod supra dixi multum referre, unone verbo sint duo pedes comprehensi an uterque liber. sic enim fit forte 'criminis causa', molle 'archipiratae', mollius, si tribrachys praecedat, 'facilitates' 'temeritates'. est enim quoddam ipsa divisione verborum latens tempus.* cf. 101 *duo spondei non fere se iungi patiuntur, quae in versu quoque notabilis clausula est, nisi cum id fieri potest ex tribus quasi membris: 'cur de perfugis nostris copias comparat is contra nos'* (*comparant contra nos* Cicero orat. 223) *una syllaba, duabus, una.* magis exculta eadem doctrina apparet in Diomedis capite quod est de compositione p. 469. ubi postquam omnia exempla talia attulit, ut singula vocabula pedes comprehendant, sic pergit: *sane quotiens una pars orationis anapaestum et trochaeum receperit, mollem et quasi lubricam structuram dabit, ut archipirata et parricidarum. quamvis enim idem pedes eademque sint tempora, tamen ubi duae sunt partes orationis, nescio quo modo in utriusque confinio retentus spiritus ac restitutus adfert quandam compositioni firmitatem; at in una parte orationis properare verba et continua spiritus celeritate labi videntur.* adicit, etsi trochaeum bene tribrachys antecedat ut *facite vota,* tamen in una parte orationis, quae totidem pedum totidemque sit temporum, molliorem ac fluxiorem structuram duci ut *facilitatis.* cf. p. 470 sq. haec doctrina ad hexametrorum artem translata et polysyllaborum exilium et eorum divisionem, si clausula ad recipiendum polysyllabum formata esset, ultro adferebat. in eo haerere aliquis possit, quod Cicero ubi de numero sermonis loquitur rem non attingit; sed nec persequitur singillatim omnia et ubi de Asianorum dichoreo loquitur (orat. 212 sq.) tantum quadrisyllaba exempla profert: *persolutas, comprobavit* (214) *aestimasti* (224), cum Hegesias et *ἠφάνισται* clausulam faciat et saepius tales **οὐκέτ' οὖσαν, σκαιὸν ἐχθρόν.** monosyllabis denique abstineri in clausulis omnia docent quae de compositione praescribuntur; longam monosyllabam vocem non sine vituperatione longa excipi, ut fit in talibus *restituit rem,* Martianus Capella docet V, 520 exemplo Ciceroniano utens: *non tu eum patria privare, qua caret, sed vita vis.* ergo ex rhetorum praeceptis in prosae orationis clausulis regnant fere ut in hexametris bisyllaba et trisyllaba vocabula. quod si respicimus rem a Meyero certa ratione comprobatam, versus Ciceronis primos in arte latina novarum illarum legum severitatem quandam prae se ferre, facile coniciamus ipsum rhetoricae artis principem leges ex sua arte in eam quam precario possederit transtulisse. et Plutarchus certe (Cic. 2) his verbis **ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητὴς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων** magnam aliquam gloriam poeticam ei ascribit, quae sententia si auctoris latini est, non Plutarchi autoschediasma, tantum ad versuum for-

mandorum leges referri potest. sed Cicero versus quos novimus fere scripsit adulescens a ludo rhetorico recens, atque admodum probabile est ea doctrina eum in versibus pangendis usum esse quam a magistris acceperit; probabile igitur in ipsa schola natas esse regulas, quantum ad caesuras attinet Graecorum arti metricae, quantum ad clausulas rhetoricae doctrinae adaptatas. — Alterum caput, quod attingere me velle professus sum, de repetitionibus Ovidianis est (nam et Lucreti et Vergili repetitiones diversi generis sunt) non eis tantum quibus aliorum poetarum, Tibulli praesertim, locos variavit, sed de eis praecipue quibus suos ipse aliorum librorum versus imitatus est, velut artis in metamorphosibus, metamorphoseon in fastis. et locos quidem huc pertinentes diligenter et Zingerleius et nuper Lueneburgius (de Ovidio sui imitatore 1888) congessit; rationem rei nusquam vidi indicatam, sed saepe multos mirari in ingenioso poeta ingenii inopiam. Senecae patris locos, quibus poetas a rhetoribus, rhetores a poetis pendere passim ostendit, non adferam; nam hoc consuetudinis non artis est. Ovidiana autem ratio sua alienaque iterum dicendi ad ipsam artem rhetoricam referenda est et ad eam quidem exercitationis partem quae est de paraphrasi; de qua quae Quintilianus exponit X, 5, 5 sq. adulescentem arti rhetoricae deditum et 'copiae ac facilitatis' (§ 1) parandae studiosum plane idem in pedestri sermone facientem repraesentant quod in poetico Ovidius facit. paraphrasin vocat *circa eosdem sensus certamen atque aemulationem*, deinde non adeo ieiunam ac pauperem a natura eloquentiam factam ait, *ut una de re bene dici nisi semel non possit*, postremo: *nec aliena tantum transferre, sed etiam nostra pluribus modis tractare proderit* e. q. s. Quintilianus pugnat contra eos qui necesse esse dicant *optimis occupatis quidquid aliter dixerimus esse deterius*, quae fere est sententia Ciceronis de or. I, 154; contra eosdem similibus argumentis Theo in praeexercitaminibus p. 62 Sp.: *τὸ γὰρ καλῶς εἰπεῖν, φασίν, ἅπαξ περιγίγνεται, δὶς δὲ οὐκ ἐνδέχεται· οὗτοι δὲ σφόδρα τοῦ ὀρθοῦ διημαρτήκασιν.* deinde: *μαρτύρια δὲ τούτου καὶ παρὰ ποιηταῖς καὶ ἱστορικοῖς, καὶ ἁπλῶς πάντες οἱ παλαιοὶ φαίνονται τῇ παραφράσει ἄριστα κεχρημένοι.* subicit exemplum Homericorum versuum (*τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*) ab Archilocho totidem septenariis expressorum (*τοῖος ἀνθρώποισι θυμὸς, Γλαῦκε Λεπτίνεω πάϊ, γίγνεται θνητοῖς, ὁκοῖον Ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγῃ*), oratorum et Thucydidis imitationes Homericas et quae oratores invicem mutuati sint; et pergit: *ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτὸς ὁ Δημοσθένης πολλάκις ἑαυτὸν παραφράζει*, cuius rei nota exempla profert, cf. Dionys. de Lysia 17. eodem modo Q. Haterium audimus, sed ex tempore, *quotiens velles eandem rem et quamdiu velles* dixisse, *aliis totiens figuris, aliis tractationibus* (Sen. controv. IV praef. 7), item poetam Archiam saepe *revocatum eandem rem commutatis verbis atque sententiis* (Cic. pro Arch. 18). haec doctrina, de qua inter rhetores graecos certatum esse videmus, ut altera sententia apud Ciceronem, apud Quintilianum et Theonem altera valeat, quanti momenti in cuiusvis generis litteras graecas et latinas fuerit, paucis verbis dici non potest. sed exemplis utar. ipsius Taciti cum Plutarcho Dione Suetonio consensus non recte aestimabitur, nisi Tacitum quoque magnum scriptorem studiis rhetoricis ab adulescentia ac per longae vitae experientiam innutritum ad historiam scribendam accessisse cogites. utriusque autem generis, et alium et semet ipsum transferentis scriptoris, luculentum exemplum Tertullianus praebet, qui cum eodem tempore libros ad nationes et apologeticum scriberet, res ac sententias easdem verbis variavit (cf. Hartelius patrist. stud. II p. 16 sq.), simul alius scriptoris

librum reddens, quo etiam Minucius Felix usus est. hanc sciliceti narrrand virtutem Vlixi suo magno rhetori Ovidius tribuit art. II, 121 *non formosus erat, sed erat facundus Vlixes, et tamen aequoreas torsit amore deas. haec* (Calypso) *Troiae casus iterumque iterumque rogabat: ille referre aliter saepe solebat idem.* hanc virtutem ipse suam fecerat Ovidius, et unde sumpserit apparet nobilis scholasticorum discipulus, cuius carminum et argumenta et tractatio usquequaque rhetoricae artis fundamentis nituntur quemque admiramur novae poesis rhetoricae Romanae principem et signiferum, licet haec ipsa artium commixtio litteras latinas pessum dederit.

Sed de Statio dicturus eram. neque vero ab illo digressus quaestionem dereliquisse videor quae est de eius cum arte rhetorica conexu, si quidem novis exemplis illustrare contigit rem non ignotam, poesin Romanam ipsam et genera eius, non figurarum tantum genera et sententias, inde ab exitu liberae rei publicae, ab arte rhetorica causas ac momenta nova accepisse; atque per Ovidium quidem potissimum stabilitam ambarum artium adfinitatem in dies artius astringi videmus, in dies augeri numerum adulescentium eloquentiae simul atque poeticae operam dantium. quo maiore confidentia deinceps alterum in Stati arte non minus memorabile ad artem adfinem auctorem referam. identidem Statius in silvarum praefationibus celerrime libellos istos compositos esse praedicat, unde apud amicos gratiam habuerint et publicati excusationem quaerant. diu multumque se dubitasse ait, an libellos, qui sibi *subito calore et quadam festinandi voluptate* fluxerint, congregatos dimittat in publicum. *nullum enim ex illis biduo longius tractum, quaedam et in singulis diebus effusa; quamvis timeo ne verum istuc versus quoque ipsi de se probent* (I). *nec nunc celeritatem apud te iacto, qui nosti, sed et ceteris indico, ne quis asperiore lima carmen examinet* (II). *tibi non habeo diu probandam libellorum istorum temeritatem, cum scias multos ex illis in sinu tuo subito natos et hanc audaciam stili nostri frequenter expaveris* (III). atque invenit apud posteros veniam quam non expectaverat. quippe multa neglegentiae signa deprehendere sibi visi ad stili velocitatem omnia rettulerunt illumque, dum amicis versiculos denumeraret, verborum electionem et sensuum acumen non curasse sibi persuaserunt. Baehrensius id laudi poetae addidit, ut eum cum fabularia attingeret 'mera nomina posuisse nominibusque imponere studuisse' affirmaret; nimirum de Aegiale 'plane contraria narrant fabulae', Meliboea 'nobis certe ignota est' (praef. p. XVIII, cf. Knaackius Hermae vol. XXV p. 88); neque admodum discrepat Imhofi sententia (ecl. ad ux. p. 19). sed ridiculum est Statio imputare, eum quicquam in publicum emisisse quod non perfectum ab arte habuerit. idem quod in se excusare videtur in patre praedicat, qui Capitoli incendium *multum facibus velocior ipsis* concinerit (V, 3, 201). neque umquam limam deprecatus esset, si eius severitatem re vera extimuisset; non quale vituperium evitare, sed cuius generis laudem talibus verbis elicere voluerit quaerendum est. sed sunt qui testimonium superesse putent veniae ab ipsis Stati aequalibus negatae; nempe quod in quarta praefatione eos impugnat *qui reprehenderunt quod hoc stili genus edidisset*, id contra Quintiliani iudicium dictum esse, qui in Stati silvas scilicet dixerit quae legimus X, 3, 17: *diversum est huic* (nimis diu scribendi materiam quaerentium) *eorum vitium, qui primo decurrere per materiam stilo quam velocissimo volunt et sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt. hanc silvam vocant. repetunt deinde et componunt quae effuderant; sed verba emendantur et numeri, manet in rebus temere congestis quae fuit levitas.* hic *silvae* nomine in Stati silvas

digitum intendi putant. sed omnino non loquitur de poetis et poematis Quintilianus, sed de oratorum scriptionibus; Sallusti et Vergili scribendi consuetudinem quod comparat § 8, comparatio est, et pergit: *oratoris quidem alia condicio est.* ergo ad Stati carmina *silva* illa pertinere nequaquam potest; *ὕλη* est, materia, unde emendata oratio edolari debeat, ut silvam rerum Cicero dicit primum comparandam esse, hanc formandam filo ipso et genere orationis, illuminandam verbis, variandam sententiis (de or. III, 103), et aliis locis similiter. eo sensu ex grammaticis *ὕλην omnis generis coegisse se octingentos in libros* Ateius Philologus scribit (Sueton. p. 108 R.) et Probum *non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui* reliquisse Suetonius (p. 119). ad *variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam* pertinet silvarum titulus quem Gellius inter alios recenset praef. 6, et potest sane ex isto oratorum vocabulo designandae materiae varietati desumptus esse; videtur etiam silvarum titulus carminibus inditus, quo primus Lucanus usus esse videtur (Sueton. p. 78) eumque secutus Statius, ad silvae oratoriae comparandae extemporalem velocitatem redire, non, quo Apollinaris refert (carm. IX, 229), ad *gemmea prata silvularum.* sed illa etsi fuerit nominis origo, multum abest ut orator oratoriae scriptionis rationem vituperando poetae carmina et edita quidem vituperet. Statius autem quod *hoc stili genus* quosdam reprehendisse dicit, ad levioris musae obtrectatores spectat, quos totiens poetae Romani repellunt; sed ipsos lusus reprehenderunt, ut sequentia docent, non componendi facilitatem. eam vero extollendo quid sibi velit Statius, sane Quintiliani ille locus indicare potest, qui est de stili velocitate, de *calore et impetu* ex tempore scribentium; ubi quod inter vitia numerat rhetor nobilis, Seneca pater laudat in Latrone, qui *eodem paene quo dicebat impetu scribebat* (controv. I praef. 17). etenim coniuncta haec facultas est cum facundia extemporali et quasi imago eius. hanc autem ex tempore dicendi facultatem, ne longus sim in aliorum locis adferendis, Quintilianus dicit *maximum studiorum fructum et velut praemium quoddam amplissimum longi laboris* (X, 7 in.). caput quaeso relegas ut cognoscas quantum talis disciplina in civitate, cuius ingenia ex arte rhetorica suspensa fuerint, valere debuerit in carminum faciendorum disciplinam artemque. is demum qui illam *ἕξιν* sibi comparasset vel comparasse videretur, ut Albucius (Sen. controv. VII praef. 2), satis studuisse videbatur. neque enim opus est tantum *naturali quadam mobilitate animi*, *ut dum proxima dicimus struere ulteriora possimus*, sed sic formanda est *multo ac fideli stilo oratio*, *ut scriptorum colorem etiam quae subito effusa sint reddant*: atque tantum abest ut ei, qui ex tempore dicat, aut materiae conquirendae animum non intendere liceat aut in disponenda remittere aut verborum eligendorum componendorumve neglegentiam velocitate excusare, ut Quintiliano quidem *ne dicere quidem* videatur *nisi qui disposite ornate copiose dicat, sed tumultuari*; tantummodo si qua fortuna *subitam fecerit agendi necessitatem*, erit *vis omnis intendenda rebus et in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum.* Q. Haterius, magnum eius facultatis exemplum, cum *impetu magis quam cura* vigeret (Tac. ann. IV, 61), non effugit reprehensionem cultissimorum hominum Senecae patris (controv. IV praef. 7 sq.) et filii (epist. 40). haec extemporalis ab elaborata eloquentia non ut olim separata erat, sed in uno homine utraque coniuncta esse debebat. similem gloriam poetas quaerere et quaesivisse, et quidem graecos ante aevum rhetoricae latinae, adnotare non omittit Quintilianus § 19 — *cum hanc facilitatem non in prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine*, *ut Antipater Sidonius et Licinius Archias*, *credendum enim Ciceroni*

est; *non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant. quod tamen ipsum non tam probabile puto (neque enim habet aut usum res aut necessitatem) quam exhortandis in hanc spem, qui foro praeparantur, utile exemplum.* atque Cicero (de or. III, 194) Antipatrum ait *solitum esse versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore*, Archiam (pro Arch. 18) saepe *cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus quae tum agerentur dicere ex tempore, revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque sententiis.* Quintilianus ita loquitur ut poeticae exercitationis ex rhetorica originem (nam rhapsodorum ars procul habenda est) ignorare videatur; nimirum ante aevum rhetoricae latinae graecorum poetarum consuetudinem excultam videmus; originem vero quam dixi vel de Archia ultima Ciceronis verba satis comprobant, et ex ipso Quintiliani Statique tempore luculentum testimonium praesto est Q. Sulpici Maximi *καίριον* vel *versus extemporales* (C.I.G.I. 2012) hoc titulo: *τίσιν ἂν λόγοις χρήσαιτο Ζεὺς ἐπιτιμῶν Ἡλίῳ ὅτι τὸ ἅρμα ἔδωκε Φαέθοντι.* quae est thesis scholastica ad ethopoeiae talia exempla: *τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἡρακλῆς ἐπιβαίνων πυρᾶς* vel *τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Ζεὺς Ἄρεα δεσμώτην ἐξ Ἡφαίστου θεώμενος.* isti versus ad ludos Capitolinos pertinent; in urbem talia certamina immigraverunt cum Neroneis; neque enim huius generis fuit scaenicum mimorum certamen, quod provocante Publilio a. 709 Romae actum est (Macrob. saturn. II, 7, 7). in Neroneis Lucanus cantaverat, in Capitolinis Statius; utrumque illam facultatem multa exercitatione sibi comparasse probabile est, uterque poemata cum cura elucubravit ut Antipatri et Archiae elaborata carmina scimus. Statius igitur in silvis, postquam Thebais *multa cruciata lima* in publicum exiit, etiam stili velocitatem urbi ostendere volebat. carmina erant scripta quantumvis celeriter, ut *ex tempore scriptum* Lucani Orphea tradidit Suetonius (p. 77 R.), non quasi in actione extemporali inter audientium plausus subito effusa; at talem *ἕξιν* se paratam habere sane lectoribus persuadere cupiebat.

Simili modo Martialis iudicii gravitatem deprecari videtur: *da veniam subitis.* atque poesis genus quod Martialis tractat, licet multam artem recipiat, natura sua subitarium est. habent Martialis poematia aliud quo cum Stati silvis coniungantur, argumenta eadem permulta. quae tractare epigrammatis omnia licebat, quorum iam pridem officium erat quamlibet materiem attingere. iam aliquo modo idem licebat etiam hexametris, quod metrum et in poesi illa extemporali regnare videmus et omnino in illius aevi litteris graecis ac latinis. epigrammatum proprium genus est elogium sepulcrale; longioris ambitus elogium qui versibus composuit Marcellus, hexametris composuit (C. I. G. I. 1389); quod carmen, si exceperis temporum ac poetarum diversitatem, aliquam habet cum Stati epicediis adfinitatem.

Sed neque haec quaestio leviter perstringi se patitur neque quae adhaerent aliae; atque satis demonstrasse mihi videor quibus viis ingrediendum sit ei qui Stati silvarum propriam naturam introspicere velit. iam nonnullorum versuum difficultates extricare conabor, rem arduam in hoc poeta, qui et ingenii et artis copiis libere et audacter utitur, in hac librorum memoria, quae unius codicis et amissi unius est, cuius ne apographa quidem unum an plura olim facta sint satis constet, e quo derivati qui extant libri vix unus alterve ita collati et publicati sint ut fide eorum niti possimus. etiam de Politiani ex ipso codice Poggiano excerptis eis, quibus non ipse codicis signum addidit, graves dubitationes nuper movit Goetzius ind. Ienens. 1884/85, sed non ut fidem eorum

invertisse videatur. neque enim video quo iure vir doctissimus dicat (p. VII), ubicumque *A* et *C* discrepent, *paene nulla*, *certe non multa apparere corruptelae vestigia;* hinc autem summam quaestionis pendere apparet. ego cum non paucas illarum scripturarum ita comparatas esse videam, ut ex codice transcriptas esse constet, non ad Sangallensem referre, cui Politiani subscriptio eos tribuit, non audeo. accedit unius carminis II, 7 vetustius in codice Laurentiano apographum, quod vitia corrigit vix semel iterumque (v. 55. 79), cum *A C* etiam in vitiis conspirat (v. 8. 90. 96), cum *C* in vitiis etiam contra *A* (tit., v. 3), saepius ubi nihil enotavit Politianus, ut post Baehrensium, qui librum a se inventum saeculo X. tribuit, iterum eum inspici oporteat. ceterum de silvarum emendatione dicturus Gronovi potissimum et Marklandi disputationes habet quibus ut firmo fundamento titubans cogitatio innitatur. utriusque suspicimus et doctrinam et cum poetis latinis familiaritatem; nec miramur hodie multos esse qui Marklandi in coniectando temeritatem praeferant interpretationi Gronovi, qui et linguae latinae scientia et constantia perspicacis animi superior est versatiliore alterius ingenio. nostro autem tempore cum multa de Stati silvis multi egregie disputaverint, sunt tamen ex eorum genere haec carmina, quibus ad ingenii levitatem exercendam abuti soleant quibus ludere labor est; nos, qui rem seriam agimus, videamus ecquid hic illic rectius quam adhuc factum est perspicere valeamus.

Epicedio in patrem (V, 3), quod tempore primum silvarum carmen est, sed retractatum a poeta nec plane perfectum aut umquam ab ipso editum, ita praefatur, ut post ereptum patris auxilium nihil sibi carminum relictum esse dicat. *quis sterili mea corda situ*, *quis Apolline merso frigida damnatae praeduxit nubila menti?* ergo ipsum advocat: sive apud superos habitas *notique modos extendis Arati* (v. 23 non *doctique* ut post editionem principem et Marklandum solent, quaesita omnia et insolita extenuantes; extendit scilicet notos Arati modos, amplificat nota illa ignotis quae iam ipsi patent) sive apud inferos, huc veni et torpentem impelle. *vix haec in munera solvo primum animum tacitisque situm depellere chordis nunc etiam labente manu nec lumine sicco ordior*, *acclinis tumulo quo molle quiescis iugera nostra tenens*, *ubi post Aeneia fata stellatus* (necesse videtur criticis in mentem revocare Vergili versus Aen. II, 681 sq., cf. Schwartzius coniect. p. 15) *Latiis ingessit montibus Albam Ascanius.* deinde sic pergit v. 41:

hic ego te, nam Sicanii non mitius halat
aura croci ditis nec si tibi rara Sabaei
cinnama odoratas nec Arabs decerpsit aristas
inferni cum laude laci sed carmine plango
Pierio: sume [hos] gemitus et vulnera nati
et lacrimas, rari quas umquam habuere parentes.

sic scilicet in libris est, quos contra nihil testatus est Politianus praeter *quam* pro *quas* v. 46; ego recepi *hos* v. 45 a Marklando insertum, quod, ut ipse dicit, 'verius erat' quam *sume et*, *sume o*, *sumas*, *sumes.* traditam orationem inde a fine versus 43 nullo modo constare apparet. dividitur in partes duas, quarum prior de odoribus est (41—43), altera de consilio canendi; quae intercedunt *inferni cum laude laci* quorsum pertineant forsitan ambiguum videatur. pendet autem *hic ego te*, quae secuntur *ἐν*

παρενθέσει dicta esse ipsa sermonis figura demonstrat, sed haec quoque pendent post verbum quod est *halat.* atque his quidem intercalatis primum ut mederentur veteres critici *sic* pro *si* scripserunt et *decerpat* pro *decerpsit*, Baehrensius *decerpit;* quos ut sententiam aliquam hoc modo effecisse concedendum est, primum tamen ambigui aliquid sensui inhaeret et molesti, cum nesciamus Arabum odores cum prato florescente comparet an cum floribus ab ipso decerptis et tumulo impositis; sed prima verba *nam Sicanii non mitius halat aura croci* ad loci amoenitatem auditorem revocaverunt. deinde ad *sic* accedere debuisse *grata* vel *cara*, non *rara*, Marklandus probe intellexit, nec dubitavit Baehrensius triplicem coniecturam recipere; nobis talis correctiuncularum cumulatio certo indicio est non recta via emendationem ingredi. atque IV, 5, 31 iterum occurrunt *rara cinnama.* Gronovius (diatr. II p. 254 H.) quod pro *si tibi* scripsit *sicubi*, nescio an *aut* dictum oportuerit pro altero *nec.* sed ne illae quidem coniecturae satisfaciunt: etiam verbum quod ad *hic ego te* pertineret ex illis recuperandum erat quae secuntur, *inferni cum laudi laci*, ubi facile se praebebat *inserui*, deinde *cum laude loci* vel etiam concinnius *his ego te — inserui cum laude locis;* quae omnia primum ineptum illud et omnibus magnorum criticorum verbis insuperabile habent *cum laude,* quod nec ullo modo sufficeret, si de elogio sermo esset, de quo hoc quidem loco sermo esse non potest (infelix autem Gronovius in defendenda laude ipsius regionis), nec cum verbo rei apto quale *cum lacrimis*, *cum fletu* hoc quidem loco, sequentibus lacrimis, mutari potest. deinde conaminum istorum nullum cum eo quod sequitur *sed carmine plango* conciliari potest, ergo forma quoque quae tradita est orationis mutari debet. unus Baehrensius retinuit aliquid et scripsit: *inferni cum laude lacus et carmine plango;* sed quae illa compositio est *inferni cum laude lacus et carmine Pierio?* iam si priores versus respicimus, haec verba: *dites nec si tibi rara Sabaei cinnama odoratas nec Arabs decerpsit aristas* ita suspensa esse videmus, ut protasi condicionali desit apodosis, talis scilicet quae respondeat istis *non mitius halat.* praemissis igitur his 'et si tibi non Sabaei cinnama sua nec Arabes tura decerpserunt' (nam *nec si* id ipsum valet *et si non*) si complementum suum addere volemus, tale erit: 'hi flores tibi omnibus turibus gratiores sunt'. nihil eius generis traditum; sed quod subsequitur *sed carmine plango Pierio*, id oppositum se esse aperte demonstrat sententiae parti nunc mutilatae quaeque in ista verba exierit *inferni cum laude laci.* ergo versum unum vel duos inter v. 43 et 44 intercidisse intellegimus. sententia quae olim fuerit fortasse servata verba docebunt. nam eis quae legimus *inferni cum laude laci* ut opponi possit *sed carmine plango,* nusquam illa pertinere posse videntur nisi ad notum philosophorum in consolationibus locum de vitae miseriis et mortis beatitudine. ut Plutarchus ad Apollon. p. 107 ὅρα δὲ καὶ τοῦ βίου τὸ ὀδυνηρὸν καὶ τὸ πολλαῖς φροντίσιν ἐπηντλημένον, ἃς εἰ βουλοίμεθα καταριθμεῖσθαι, λίαν ἂν αὐτοῦ καταγνοίημεν, ἐπαληθεύσαιμεν δὲ καὶ τὴν παρ' ἐνίοις κρατοῦσαν δόξαν ὡς ἄρα κρεῖττόν ἐστι τὸ τεθνάναι τοῦ ζῆν, deinde τοιούτου οὖν τοῦ βίου τῶν ἀνθρώπων ὄντος πῶς οὐκ εὐδαιμονίζειν μᾶλλον προσήκει τοὺς ἀπολυθέντας τῆς ἐν αὐτῷ λατρείας ἢ κατοικτείρειν τε καὶ θρηνεῖν, ὅπερ οἱ πολλοὶ δρῶσι δι' ἀμαθίαν; et quae secuntur, etiam c. 35. item Seneca ad Marciam c. 11 et inprimis c. 20 *o ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur expectaturque —, sive satietatem ac lassitudinem senis terminat* et quae secuntur hymni in modum composita; ad Polybium c. 4 (23) *omnes agedum mortales circumspice, larga ubique flendi et assidua*

materia est e. q. s. et 9, 6 (28) — *omnis vita supplicium est. — nullus portus nisi mortis est. ne itaque invideris fratri tuo: quiescit. tandem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. — fruitur nunc aperto et libero caelo, ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu, et nunc libere illic vagatur omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit.* quae exscripsi ut sententiam deprehenderes et verba inde eligeres quibus Statius inter v. 43 et 44 uti potuisset. atque similes sensus ipse dedit in consolatione II, 1, 220 sq. 6, 98 sq. V, 1, 220. certe poeta qui mortis felicitatem praedicare volet, *quietem Elysiam* vel *amoena silentia Lethes* vel *infernum lacum* laudabit. quare talem fuisse sententiarum illarum conexum non improbabile duco: *hic ego te (nam Sicanii non mitius halat aura croci, dites nec si tibi rara Sabaei cinnama odoratas nec Arabs decerpsit aristas*, gratior huius odor prati), non vocibus hic te Socraticis dico quod liqueris ista beatum *inferni cum laude laci, sed carmine plango Pierio.* quod opponit quae dicturus est eis quae non dicturus est, tritam figuram usurpat, eandem ut alia taceam v. 80 sq. illud non diiudico, utrum ipse poeta scripserit *laci*, non *lacus*, an librarius; *laci* legi notum est in titulo C.I.L. I 584 et in basi Capitolina, i. e. Sullae et Hadriani temporibus, cf. Neuius I p. 523. certe quod sequitur *vulnera* non mutandum est in Marklandi *munera*; gemitus et vulnera in funere sollemnia sunt, hic et lacrimas accipiet, et tam acerbas quidem quam umquam rari parentes habuere.

Intercidisse in eodem carmine aliquid post v. 129 certum est, lacunas in v. II, 2, 147 et post V, 5, 46 Baehrensius detexit, in kalendis Decembribus quae post v. 77 amissa sint Wachsmuthius plane certa ratione demonstravit musei Rhenani XLIII p. 26 sq., de aliis alii et de compluribus nuper Eduardus Schwartz in egregiis coniectaneis Statianis indici Rostochiensi a. 1889 praemissis p. 13 sq. tam apposite ad persuadendum disputavit, ut nullum gravioris corruptelae genus saepius his carminibus quam versuum iacturam nocuisse compertum sit. reliquerunt illi locum qui legitur in fine epistulae ad Victorium Marcellum (IV, 4, 102):

iamque vale et penitus noti tibi vatis amorem
corde exire veta: nec enim Tirynthius almae
pectus amicitiae; cedet tibi gloria fidi
Theseos et lacerum qui circa moenia Troiae
Priamiden caeso solacia traxit amico.

extitit qui illa a nullo intellecta, *nec enim Tirynthius almae pectus amicitiae*, defenderet Gronovius diatr. I p. 420, sed eius spinas interpretationis evellit Marklandus; qui quae temptavit (*tibi enim Tirynthius, almae pectus amicitiae, cedit, tibi* et similia) omnia saniora sunt quam coniecturae postea factae, quorum auctores Grotium secuti certatim Tirynthii nomini comparativum substitutum ibant, *retinentius, te certius, mitius, mihi* vel *tibi iunctius, vinctius, notius.* horum conaminum partem latinitas non patitur, cum *almae amicitiae* nusquam adhaereat, omnia irrita sunt; nam neque id corruptelae genus in hoc codice locum habet interpolationi proximum, quo corruptae locutioni librarius substituerit *tirintius* vel *tyrintius*, neque casu factum esse probabile est ut eo loco *Tirynthius* irrepserit quo amicitiae nobilia exempla enumerentur. ergo rectius et Gronovio et emendatoribus Gevartius adnotavit: *plane abrupta sunt et suspicarer aliquid hic deesse nisi* — sed

non pro exordii prudentia pergit. Marcello cedere ait Thesea et Achillea, amicos Pirithoi et Patrocli, nam de Thesei fide ubi agitur Pirithous intellegitur; Tirynthium igitur Telamonis amicum antea tetigerat, et poterat hoc modo oratio fluere: *nec enim Tirynthius* ipse, non Agamemnonides tulerat retinentius *almae pectus amicitiae.* quae verba ut se sponte praebuerunt ostendunt quo modo iactura evenisse videatur. ista scripsi, quamvis Marklandus suam de loco disputationem prolatis coniecturis ita finiat: *interea mutilum locum puto et versu uno defectum, et ideo asteriscum apposui.* nempe qui se criticos haberi volunt coniecturas tantum videre solent; sic ipsa veritas in illa commentariorum luce tenebras invenit.

Item ex difficultate quae initium consolationis ad Flavium Vrsum impedit, nulla alia ratione me extrico. ascribo pulcrum exordium, quo non perlecto quae res sit apparere non potest (II, 6):

saeve nimis, lacrimis quisquis dicrimina ponis
lugendique modos; miserum est primaeva parenti
pignora surgentesque, nefas, accendere natos,
durum et deserti praerepta coniuge partem
conclamare tori, maesta et lamenta sororum
et fratrum gemitus: alte tamen et procul, intrat
altius in sensus maioraque vulnera vincit
plaga minor. famulum, quia rerum nomina caeca
sic miscet Fortuna manu nec pectora novit,
sed famulum gemis, Vrse, pium, sed amore fideque
has meritum lacrimas, cui maior stemmate iuncto
libertas ex mente fuit; ne comprime fletus,
ne pudeat: rumpat frenos dolor iste, deisque
si tam dura placent, hominem gemis (ei mihi, subdo
ipse faces), hominem, Vrse, tuum e. q. s.

haec praeter levia quaedam tradita sunt ut legis nisi quod v. 13 *diesque* et v. 14 *heu* in libris et olim correctum est. praeterea graviores corruptelas duas nondum emendatas removi; nam v. 6 codices habent *ad te tamen at procul (et procul ς),* et ut scripsi necessario scribendum esse videbit qui loci rationem altius inspiciet; Marklando idem in mentem venerat, sed cum non recte distingueret sententiam, ipse non intellexit: 'tamen etiam eminus inflicta plaga alte, immo altius intrat in sensus et maiora vulnera minor vincit'. hoc igitur lectori relinquo; tantum similem locutionem adfero II, 2, 83 *una tamen iunctis, procul eminet una diaetis* et metri duritiem quae videri possit ipsa sermonis figura tolli moneo. item v. 8 *quia rerum omnia caeca sic miscet Fortuna manu* nihil iuvat *quoniam* vel quod nuper prolatum vidi *quianam;* non enim *omnia* Fortunam miscere hic refert, sed aliquid cui *pectora* opposita sint. *nomina* dicit servitutis ac dominatus. sed omnia deficiunt in v. 14, ac non magis cum Gevartio *convicia inferas* subaudire licet quam cum Bentleio (ad Hor. sat. II, 7, 83) intellegere '*si deis tam dura placent*, hoc est ut tam liberalis puer indolis vel nascendi condicione vel captivitatis sorte foret servus', in quo Marklandus invitus acquievit; nam scribendum foret *hominem geme* vel aliter. neque vero Baehrensii coniecturam *hominem exprobret* quisquam probabit,

nam *hominem gemis* illud *famulum gemis* ita excipit ut efficacius nihil possit; non plus profecit Macnaghtenus (Journ. of philol. XIX p. 133), qui nonnullos locos (dico versus II, 2, 128 et I, 1, 19) egregie correxit; neque quicquam illorum loco quae sunt *deisque si tam dura placent* aptius excogitari potest. ergo rursus in medio versu lacunam factam cognoscimus; quae cuius generis sententiam hauserit ultro patet et Stati versus ostendunt in re simili V, 1, 22, de verbis nemo quicquam affirmare volet. — de v. 40 addo, *torvoque virilis gratia* vindicari Senecae versu Phaedr. 798 *quam grata est facies torva viriliter.*

Alio loco, quem lacunosum esse ipse Schwartzius intellexit, I, 3, 9, post hunc versum *ipsa manu tenera tectum scripsisse Voluptas* non tantum pendere orationem, sed etiam totas aedes perfectas esse videmus: *tum Venus Idaliis unxit fastigia sucis;* hic igitur multa interciderunt de aedificatione. illo autem versu non *tectum* traditum esse videtur sed *tecum;* nec *tectum* aptissimum post v. 7 *tectis*, v. 8 *domus.* vix immutata est in libris Stati manus: *ipsa manu tenera te conscripsisse Voluptas*, cf. III, 1, 117 *conscripta formantur imagine templa.* alloquitur villam iunctis aedificiis compositam, ut v. 24 *nec te mitissimus amnis dividit.* sed etiam de hoc versu dubitatur. incepit ab ipsius loci descriptione v. 15 *ingenium quam mite solo, quae forma beatis ante manus artemque locis,* ubi *ante* palmaris est emendatio Augusti Otto (mus. Rhen. XLII p. 369), cum in libris sit *arte.* sic ipse III, 2, 73 *ante rates pigro torpebant aequora somno,* Theb. XII, 265 *errantque animae post membra solutae*, nomina item coniungit Ovidius fast. I, 406 *pars aderant positis arte manuque comis.* pergit: *nemora alta citatis incubuere vadis; fallax responsat imago frondibus et longas eadem fugit umbra per undas*, ubi mireris magnos parvosque criticos consulentes perspicuitati sermonis sed omnem poeticum colorem detergentes, dum quaesitae imagini tritissimam substituunt *fugit unda per umbras.* deinde igitur ipsam villam sic describere incipit v. 24: *litus utrumque domi, nec te mitissimus amnis dividit: alternas servant praetoria ripas, non externa sibi fluviorum obstare queruntur,* ubi *optare* libri habent, quod Domitius correxit, reliqua sanissima sunt. atque prima verba paucis Marklandus explicavit, ut rectius non possit: 'utraque ripa Anienis *domi est*, domestica, et non externa'; tamen post eum in alia omnia abierunt. ad notum proverbium adludit: *domi nascuntur, domi habeo ne quaeram foris, αἱ γὰρ ἐπῳδαὶ οἴκοι*, atque eo spectat *externa* v. 26. ergo domi habet villa litus utrumque, non dividitur interfluente amne, utrumque litus aedium partes inter se coniunctae tenent, non *externa fluviorum*, i. e. externos fluvios, quod genus loquendi notum esse putaveram, sibi quominus commercium exerceant obstare queruntur. haec tamen coniunctissima litora ut cum Aulide et Euboea, cum Sicilia et Italia comparet, quarum contraria condicio est, et his quidem verbis v. 30:

datur hic transmittere visus
et voces et paene manus: sic Chalcida fluctus
expellunt reflui, sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum,

id fieri non posse videtur. *reflui* una sufficit emendatio tradito *fluuii; expellunt* optime dictum est de freto quod insulam reicit et quasi excludit a continenti. sed tota descriptio non componit illas cum Vopisci Tiburte insulas sed opponit; atque ineptum esset cum coniunctis fluvii litoribus freta quantumvis angusta comparare. iam dixit de Hellesponto

(27 sq.), cuius litorum fabularis propinquitas (nam eodem sine dubio pertinent *audaci iuncti delphines ephebo*, cf. Ovid. her. 17, 131; trist. III, 10, 41) ab illis superetur. ego nihil affirmo, nisi quod talis figura ipsam sententiam reddere videtur: *sed Chalcida fluctus expellunt reflui*, *sed dissociata* e. q. s.

Relinquo Tibur Vopisci, quamvis multa de carmine inter pauca difficili dicenda restent, et redeo ad epicedion patris. in quo ipsius laudationis prooemium iterum, ut supra memoravi, ab eis incohat quae non dicturus sit, notum poetarum locum exornans, v. 80:

non ego quas fati certus sibi voce canora
inferias praemittit olor nec rupe quod atra
Tyrrhenae volucres nautis praedulce minantur
in patrios adhibebo rogos, non murmure trunco
quod gemit et durae queritur Philomela sorori;
trita nimis vati: quis non in funere cunctos
Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit
et Phrygium silicem atque ausum contraria Phoebo
carmina nec fida gavisam Pallada buxo?

recepi *uoce* v. 80 veterem emendationem (*morte* codices) et *trita* v. 85 Baehrensii coniecturam (*nata* cod., *nota* vulg.). neque in his gravior dubitatio; sed dicturus eram de istis: *quis non in funere cunctos Heliadum ramos lacrimosaque germina dixit?* quae verba a Marklandi coniectura *in funera-duxit* defendi non opus est, magis defensione eget *cunctos*, quod, cum Sangallensis apographa praebeant *cuncto*, Politianus adnotavit. illud nescio an multi non satis intellexerint, sed innoxium vocabulum silentio tramiserunt; Baehrensius *iuncto* coniecit, nuper coniecturam legi hominis qui milia multa fecit ab aliis conturbanda, qui cum vidisset *funus ducere* et *ducere ramos* esse in lingua latina, item latinum esse putavit et Stati versui aptum *in funere ducto* vel *in funere ductos*; nam optionem nobis permisit. sane si *cunctos ramos* et *lacrimosa germina* sic temere composuisset Statius, arte sua indignum facinus admisisset; nam cum rami et germina ad eandem notionem pertineant (nec possunt *germina* ad aliam pertinere), cum et rami Heliadum et germina lacrimosa sint, cum cuncti rami et germina cuncta, non potuit ramos *cunctos* et germina *lacrimosa* dicere, non potuit cunctis ramis adiungere lacrimosa germina. ergo hoc non voluit; sed hoc ipso intellecto quid voluerit apparet. primum *lacrimosa* non ad *germina* tantum accedit, sed ad *ramos* item; genus figurae ἀπὸ κοινοῦ admodum usitatum, quo quod ad utrumque pertinet membrum adiecto *que* ad alterum trahitur (cf. Sen. trag. II p. 376). rem nunc non persequar, alio loco de figurae generibus dicturus; hic satis erit ipsius Stati nonnulla exempla consimilia attulisse, talia scilicet quae epitheton nominibus illo modo interpositum ostendant: Theb. XII, 286 *saepe gradu caeco ferrum calcataque tela dissimulat* II, 566 *simul ora manusque fractaque commixto sederunt pectora ferro*, eiusdem generis silv. I, 5, 7 *adhuc fessum Siculaque incude rubentem* (cf. I, 2, 127. 179; II, 7, 86) et quod immutare solent ipsius quod tractamus carminis v. 96 *qui furias regumque domos* (solet autem post Meursium *dolos* substitui) *aversaque caelo sidera terrifico super intonuere cothurno*. nam hic quoque *regum domus* tum tantum recte intelleguntur, cum *furias regum* non minus cohaerere intellectum sit; sic simul efficitur ut

furias et domos coniungamus et de domibus furiarum plenis poetam loqui sciamus. simile quid versu 85 accidit. nempe non satis est lacrimosos ramos et germina accipere; etiam nomina sibimet adhaerent eandem rem una designantia; haec autem quae ex duobus unum efficit figura etiam quod ad ramos accessit *cunctos* ad utrumque nomen trahit. sic fit ut latini poetae mentem non intellegat nisi qui nomina semet invicem arripere quasi et commiscere sentiat ita ut cunctos ramos lacrimosos et cuncta lacrimosa germina audiat. sic demum lacrimarum ubertas recte depingitur. — claudit locum ad elegiam adludens versibus de tibiarum inventione vel potius de Marsyae certamine: *ausum contraria Phoebo carmina nec fida gavisam Pallada buxo*, ubi *fida* nemo toleravit; veteres *fissa* posuerunt, Heinsius et Marklandus *foeda*, quod *non iure vado Maeandri iacta natavit, turpia cum faceret Palladis ora tumor*, alii *Lyda*, *bifida*, aut nihil ad rem facientia nomina aut post Marsyam devictum Palladis inventum praepostere inducentes. Baehrensius quod *nec victu* scripsit, saltem certaminis imagini aliquid addere volebat. namque de Marsyae Apollinisque certamine et de Minervae tristitia vel gaudio quae dicuntur etiam tempore cohaerere et Minervam in certamine praesentem cogitari tam probabile est in hac argumentorum serie, ut nulla interpretatio aut emendatio probabilis sit quae aliam sententiam efficiat. quaeri autem potest utrum Marsyae certanti faverit Minerva an adversaria fuerit. in artis monumentis, quatenus Minervam certamini inserunt, a Marsyae parte collacata est, cum in vase Rubustino (mon. inst. VIII t. 42, cf. Michaelis arch. zeit. 1869 p. 41 sq.) tum in sarcophagis, quos recenset Michaelis annal. inst. 1858 p. 325 sq., ut in sarcophago Campanae mon. VI t. 18; in sarcophago Parisino (Muelleri et Wieseleri II t. 14, 152 cf. Froehnerus notice de la sculpt. ant. du Louvre p. 103 sq.) vel manum umero satyri Minerva imponit, ut de favore dubitatio esse nequeat. item in imagine urceolo vinario impressa, quam Froehnerus edidit (les musées de France p. 12 sq., t. 3), Minerva stat pone Marsyam tibiis canentem et ascripti sunt versus: *Pallados en studio didicisti, Marsya, cantu, dumque tibi titulum quaeris, mala poena remas* (*cantum* et *remansit* Froehnerus). haec igitur fautricem Minervam ostendunt et Baehrensi coniecturae favere videntur. sed extat diversa rei memoria, quam Hyginus exhibet fab. 165: *tibias abiecit et imprecata est, ut quisquis eas sustulisset gravi afficeretur supplicio;* cf. Michaelis annalium l. s. et Robertus in Prelleri mythol. I p. 223. ad hanc fabulae formam verba tradita *nec fida gavisam Pallada buxo*, si ipsa considerabis, ipsa quadrare videbis; hoc nimirum valent: et Pallada gavisam buxo non fida, laetam tibiarum, quas ipsa abiecerit et ille se invita sustulerit, perfidia. *nec fida* dictum ut in silvis *nec degeneri* III, 2, 41, *nec lumine sicco* V, 3, 35, ubi debetur Gronovio, de *nec si* v. s.; eodem modo scribendum II, 7, 128 *nec solacia vana subministrat*, et solacia non vana, ubi *ac A* et *C* praebent, *ad* Laurentianus a vera scriptura magis degenerans. vide quae ad Culicem adnotavi p. 40. *fidam* tibiam dicit ut *fidum ensem* Vergilius Aen. VI, 524 et aliter ipse silv. V, 1, 94. — deinde ipsum argumentum adgreditur elogium patris, Parthenopen compellans v. 104: *exere semirutos subito de pulvere vultus, Parthenope, crinemque efflato* (non *afflato;* cf. 207) *monte sepultum pone super tumulos.* atque vitam moresque simili ordine enarrat, quo illustrium virorum vitas biographi antiqui componere solent, non aliter III, 3, 43 sq. sed huic parti immorari supersedeo, unum tangam quo exercitationum a patre cum adulescentulis Neapoli institutarum agmen claudit, quoniam de hoc genere supra locutus sum. epicorum lectione pueros instituit, lyri-

corum numeros docuit, Callimachum aliosque poetas obscuriores enarravit; deinde v. 159:

sed quid parva loquor? tu par assuetus Homero
ferre iugum senosque pedes aequare solutis
versibus et numquam passu breviore relinqui.

coniungere solebant *senosque pedes aequare solutis versibus*, quod cum ineptum esse videret Marklandus, scribendum coniecit *vocibus;* sed in eo erravit, quod de 'veterum poetarum enarratore et interprete' hic agi putabat. novam rem induci prima verba docent, agitur autem de paraphrasi carminum, de qua Quintilianus X, 5, 4 *ac de carminibus quidem neminem credo dubitare, quo solo genere exercitationis dicitur usus esse Sulpicius. nam et sublimis spiritus attollere orationem potest et verba poetica libertate audaciora non praesumunt eandem proprie dicendi facultatem; sed et ipsis sententiis adicere licet oratorium robur et omissa supplere et effusa substringere.* hac exercitatione usus est Polybius ad quem Seneca scribit 11 (30): *agedum illa, quae multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume utriuslibet auctoris carmina, quae tu ita resolvisti, ut, quamvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia; sic etiam* (non *enim*, nam alia res est, emendavit Fernandus Pincianus) *illa ex alia lingua in aliam transtulisti* e. q. s. (Rufini verba a Marklando item ascripta plane huc non pertinent). omissa autem supplere et effusa substringere ita ut nec extenderetur carminis modulus neque coartaretur, multae artis erat. id est quod Statius dicit *par Homero ferre iugum* et *senos pedes aequare solutis* et quod addit *versibus et numquam passu breviore relinqui*, i. e. et numquam versibus praecurrentibus relinqui, quorum gradus pedibus non assequaris. laudat igitur paraphrasin pedestrem quae ipsum versuum spatium expleat.

In libello gratulatorio quem Rutilio Gallico praefecto urbi dedicavit post initium qui leguntur versus (I, 4, 9):

ergo alacres, quae signa colunt urbana, cohortes
inque sinum quae saepe tuum, fora turbida questum,
confugiunt leges urbesque ubicumque togatae,
quae tua longinquis implorant iura querellis,
certent laetitia, nosterque ex ordine collis
confremat et sileant peioris murmura famae

nunc fere in desperatis vel etiam feliciter correctis habentur. tres priores, quos omnes intellegunt (vetus correctio est *togatae* pro *rogatae* et Marklandi *questum* pro *questu*), Baehrensius demum corrupit, qui etiam *reges* praefecto urbi subdidit. *leges* igitur in praefecti sinum confugiunt ut forum turbidum esse querantur, non municipiorum fora (quae Mommseni opinio est, iur. publ. II p. 1064 adn. 3), sed ipsas praetorum quaestiones; leges scilicet res a praefecto sine iudicibus et fortasse ne publice quidem peragi malunt; cf. Mommsenus p. 1065 et de Italiae urbibus p. 1076. vide III, 5, 87 *nulla foro rabies aut strictae in iurgia leges*, IV, 1, 5; 4, 39. maius negotium quae secuntur facessunt: *nosterque ex ordine collis confremat*, ubi *nosterque* Politianus ascripsit, *noseque, nosceque*, *nosseque* ex codicibus adfertur. atque *collem* primum ad aliquem ex septem collibus Gevartius rettulit, provocans ad IV, 1, 7, deinde Salmasius hoc modo vitiosum esse *ex ordine* vidit et coniecit *senique*, alia in eandem sententiam disputavit Marklandus,

qui etiam postea 'desperatissimum locum' dixit, nostro tempore Imhofius et Nohlius felicius rem egisse visi sunt, quorum ille *confremite*, hic pro *nosterque* scripsit *vos terque* (quaest. Stat. p. 38), ut iam sint quibus de hac lectione constet: *vos terque ex ordine, colles, confremite.* sed in istis *que* vitiose collocatum est, ut pluribus coniecturam refutari non opus sit. accidit, quod saepe, ut veterum criticorum interpretatio non minus vindicanda sit quam poetae manus. illi *nostrum collem*, ut debuerunt, Parnasum intellexerunt, per collem autem intellegi habitatores collis probe sciverunt. *messesque reversae dimisere forum* IV, 4, 40: illic non ipsum forum dimitti, sed iudices et causidicos nemini obscurum est; hic quod *ex ordine* collis confremere iubetur, haerent; sed si legeretur *nostrum ex ordine collegium confremat*, nemo dubitaret. atque haec ipsa verborum figura est, quod *collis ex ordine* iuxta ponuntur, quo fit ut parvula cogitatione opus sit antequam quid poeta ac rhetor voluerit audienti sese aperiat. poetis igitur gratulandum esse dicit, ut I, 2, 247 *nunc opus*, *Aonidum comites tripodumque ministri*, *diversis certare modis*, silere iubet *peioris murmura famae.* nempe convalescenti non valido poema dedicaverat; cum publicaretur, Gallicus mortuus erat.

Plura quam carmen ad Gallicum de praefectura urbis ceterum satis nota, de rationali eiusque officiis consolatio ad Claudium Etruscum docet. sed in ea parte media, quae de rationibus accepti et expensi agit (cf. Otto Hirschfeld untersuchungen auf dem gebiete der röm. verwaltungsgesch. p. 31 sq. Mommsenus iur. publ. II p. 1003), aliquid erratum est in codicibus; nec magni momenti est, nam ipsam rem non tangit, tamen legenti molestum. sic incipit III, 3, 86: *iam creditur uni sanctarum digestus opum partaeque per omnis divitiae populos magnique impendia mundi.* deinde opibus fisci enumeratis, quae *uni parent commissa ministro*, pergit v. 98 *vigil iste animique sagacis exitus evolvit quantum Romana sub omni pila die* e. q. s. *poscant.* in his *exitus* corruptum esse apparet; sed etiam *iste* et *animique* coniecturae debetur, et hoc quidem, quod *animeque* est in codicibus, certae, illud (*ite* codices) pessimae quaeque tam diu non fuit toleranda. transitus fit ab acceptis ad expensa, quae item accurate enumerantur; nec dubium est quin ista, *uni parent commissa ministro*, hoc modo exceperit: *vigil idem animique sagacis.* quod sequitur *exitus* ea de causa difficile est ad emendandum, quod nihil ad sententiam desideratur, omnium minime *aes* Baehrensii. id intellexerat Marklandus cum non probabiliter coniecit *animoque sagaci excitus;* et quam moleste novum epitheton cum novo versu inferatur, Salmasii coniectura ostendit *et citus*, quam nuper commendavit Otto (l. s. p. 537), in qua non iniuria se Statium quaerere Marklandus dicit. multum praestat, quod tantum verbum determinat, Hirschfeldi *anxius* (stud. Vindob. III p. 268 sq.); sed post *vigilem* nihil addit sententiae. alio ducit ipse ab altera parte ad alteram transitus, in quo post illa: *iam creditur uni sanctarum digestus opum*, *uni parent commissa ministro* aliquid de fiducia imperatoris dictum expectamus. quod non video quo alio modo fieri potuerit quam ut Statius scripserit: *vigil idem animique sagacis cognitus.* dictum id ut *notus animi paterni*, *notique operum Telchines* (Statius Theb. II, 274), cf. Marklandus ad silv. V, 3, 109 (ubi τὸ ἑξῆς *famae nil gentile tenens*, non *famae obscura*), ut eiusdem notionis nomina *inglorius occultus clarus praeclarus* alia cum eiusdem generis genetivis coniunguntur. scio specie non vincere coniecturam, quamquam *cog* ab *ex* in scriptura unciali non multum distat, sed et sententiae satisfacit et loquendi genere audaci Statianum colorem verbis induit.

In propemptico Celeris postquam de hominum in navigando audacia et maris periculis notum locum novis sensibus exornavit, sic pergit (III, 2, 78):

iusta queror: fugit ecce vagas ratis acta per undas,
paulatim minor, et longe servantia vincit
lumina, tot gracili ligno complexa timores,
quaeque super reliquos te, nostri pignus amoris,
portatura, Celer.

ita haec tradita sunt, nisi quod *quaque* libri habent v. 81, *quaeque* Politianus adnotavit. *gracili ligno*, non *fragili* ut Heinsius voluit, secundum Senecam Med. 307 *inter vitae mortisque vias nimium gracili limite ducto*, *ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον ἄιδ' ἐρύκει.* deinde *tot timores* non amici sunt pro quibus timetur (sic Marklandus), nam de uno Celere agitur, sed tot quot modo dixit timores; quod pergit *super reliquos te* in eo ludit ut super reliquos timores qui timentur unum extollat cui timetur, Celerem. sed in his *quaeque portatura* quin corruptela insit dubitari non potest. Marklandus sermonem levigavit scribendo *teque super reliquos*, *te*, *nostri pignus amoris*, *portatura;* id autem quod intolerabile est ne tetigit quidem, *portatura.* navem iam in alto evanescere poeta fingit, portare igitur non portaturam esse amicum; atque portare cum in huius aevi latinitate asportandi notionem induere posse non negem, hoc ita tantum a bono scriptore institui potuit, ut per verbi simplicis significatus proprium et novum inter se discordantes sententiae perspicuitas ne laederetur. ergo scripsisse Statium probabile est: *quaeque super reliquos te*, *nostri pignus amoris*, *portat dura*, *Celer.* vitat sane Statius, ut fere cultiores poetae Romani, vocabulum spondiacum in versus initio (cf. Birtius ad hist. hex. lat. symb. p. 18. 68), sed admittit, ut primi et tertii libri exemplis utar, primum in anaphora (III, 3, 25 *felix en nimium felix*, 5, 48 *questast Aegiale*, *quaestast Meliboea relinqui* I, 1, 90 *tantum dicat equos quantum distare regentes*, cf. 2. 234 *omnis* post 233), deinde in pronominibus adverbiis coniunctionibus sententiam fere cum pondere incohantibus (*illum illis* I, 3, 5. 70, *ipsae ipsi* III, 1, 144; 4, 86, *qualem quantum* III, 5, 37; I, 2, 199. 242, *mecum* III, 5, 33, *illinc illic* I, 1, 30; 3, 75, *quamvis* I, 2, 76; III, 1, 78, *donec* I, 2, 206; 4, 109, *numquam* I, 3, 30, *nondum* III, 3, 77; 4, 73) vel in verbis natura sive positione spondiacis *cessent cedant mallet certent stabat sparsit norat* (I, 2, 27; 3, 83. 94; 4, 13; III, 1, 82; 2, 24; 4, 53), quibus accedit *portat*, et *salve* I, 1, 74; III, 3, 208. rarissimum est in nominibus: attuli anaphoram *felix a nimium felix* et alteram, idem *felix* in eodem carmine III, 3, 124. 188 bis sententiam incohans (item in carmine V, 2 *felix* v. 24. 152. 176, praeterea tantum *passus* v. 104), *audax* III, 2, 64, *longo Marte* I, 1, 81; nomina substantiva in duobus libris nusquam nisi cum multo pronuntiationis vigore III, 5, 88 *morum iura viris solum et sine fascibus aequum* et I, 3, 110 versu carmen claudente *finem Nestoreae precor egrediare senectae.* cum his Tibullum observantissimum artis poetam conferam. ille in hexametrorum initiis admittit per anaphorae figuram *flebis* I, 1, 63 (cf. 61) *urit* IV, 2, 11 (cf. 12), *cantus* I, 8, 19 (cf. 20. 21), *frustra iam vestes, frustra mutantur amictus* I, 8, 13; praeterea *ille* et *ipse* pronominum formas, cum pondere, saepe in anaphora, positas, I, 1, 65; 3, 41. 45. 65. 73. 81; 7, 35; 9, 35. 61. 63; 10, 37; II, 1, 38. 69; 3, 58. 60; 5, 35. 43; IV, 2, 7; singula haec: *qualem* II, 5, 9, *nondum* I, 3, 37, *vidi* et *solis* et *quamvis*, illa cum vi sententiae, brevi circuitu I, 4, 33. 37. 43, *semper*

I, 9, 57, *tandem* vigorosum in initio carminis IV, 7, 1. nullum tale vocabulum in hexametris carminum I, 2. 5. 6; II, 2. 4. 6; IV, 3—6. 13. in pentamentrorum initiis rariora etiam, nulla in I, 1. 7. 8. 10; II, 2—6; IV, 3—6. 13, sed verba atque nomina sine discrimine: *prodest* I, 2, 78, *ducunt* 9, 10, *vectast* 5, 46, *taedet* IV, 7, 10, *tellus* I, 3, 36, *flammam* 6, 46, *matris* II, 1, 88, *felix* 80; *urit* in anaphora IV, 2, 12, v. s.; cum synaloepha, qualia in hexametris omisi, *libem et*, *saepe et*, *tandem ad* I, 7, 54; 8, 10; II, 5, 46. de Sulpicia cf. IV, 10, 1 et 4. sed Lygdami contraria ratio est; qui ducentorum nonaginta hexametrorum tredecim spondiacis vocabulis incipit (semel *illuc* ponit, ter *ergo*, praeterea *quamvis etsi tandem; tantum cara tibi quantum, quales his poenas qualis; Martis* in initio carminis, semel *divi*, verba *adsis nescis*), sed totidem pentametrorum quattuordecim, et verbis quidem nominibusque praeter 4, 52 (*quantum* cum anaphora) et 6, 2 *semper;* praeterea bis *atque haec*, semel *namque haec*. ostendere volebam et probum versus initium esse quod Statio reddidisse videor *portat dura* et poetarum in admittendo initio spondiaco usum non ad metricam tantum rationem exactum esse.

Sed de Statio scribere infinitum est, finitum scribendi et tempus et spatium. ergo reponam, ac prudentius erit, quae additurus eram multa, dum novus aliquis quem desideramus silvarum editor libri Sangallensis certa ratione restituendi copiam fecerit.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., *Seminarii regii catechetici exercitationes* die Merc. h. II—III; *Exegetici, in quo selectos Nov. Test. locos explicandos* proponet, die Lun. h. VI—VIII moderabitur; privatim *euang. S. Ioannis* quinis dd. h. IX—X interpretabitur.

HERMANNUS SCHULTZ, Dr., privatim *Theologiae dogmaticae partem 1*, quinis per hebd. scholis docebit, h. XII; *Librum Iesaiae* quinquies per hebd. h. X explicabit; publice *Exercitationes Seminarii regii* dogmaticas die Iovis h. VI—VIII instituet; *Seminarii regii exercitationes* homileticas more solito moderabitur.

CAROLUS KNOKE, Dr., privatim *Theologiae practicae Systema* quinis scholis h. V tradet; *Pericopas ecclesiasticas* in usum homileticum ternis scholis h. VIII interpretabitur; publice *Exercitationes Seminarii regii homiletici et liturgici* die Sat. h. IX—XII, *catechetici* h. II moderabitur.

THEODORUS HÄRING, Dr., privatim *Theologiam moralem* quinis per hebd. scholis h. XI; *Iohannis epistulas* binis per hebd. scholis die Merc. h. VI et VII interpretabitur; *Colloquium ethicum* moderabitur.

PAULUS TSCHACKERT, Dr., privatim *Historiam ecclesiasticam medii aevi* quinis per hebd. scholis a die Lunae usque ad diem Ven. tradet h. VIII; *Historiam dogmatum christianorum* quinquies per hebd. die Lunae usque ad diem Veneris docebit h. III; *Exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderabitur die Veneris h. VI.

NATHANAEL BONWETSCH, Dr., privatim *Historiam ecclesiasticam temporis recentioris* (inde a reformatione ecclesiae usque ad nostram aetatem) quinquies h. VIII tradet; *Vitam Iesu Christi* trinis per hebd. scholis enarrabit diebus Mart., Merc., Iovis h. XI—XII; publice *Exercitationes historicas* Seminarii theologici moderabitur d. Ven. h. VI.

b. *Professorum extraordinariorum.*

GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr., *Epistolas Pauli ad Ephesios, Colossenses, Philemonen, Philippenses* interpretabitur quinis per hebd. lectionibus h. IX—X.

IOANNES WEISS, Lic. theol., privatim *Introductionem in N. T.* docebit quinquies h. IX; *Alberti Ritschl libellum, quem inscripsit „Unterricht in der christlichen Religion“* interpretabitur binis scholis h. V; *Exercitationes exegeticas* moderabitur die Lunae h. VI; publice *Epistulam Petri priorem* interpretabitur die Mercurii h. V.

c. *Privatim docentium.*

W. BOUSSET, Lic. theol., *Duas Pauli ad Corinthios epistulas* interpretabitur quinquies h. IX.

WILHELMUS WREDE, Lic. theol., privatim bis per hebd. de *Pauli apostoli theologia* disputabit h. IV.

ALFREDUS RAHLFS, Lic. Dr., privatim quater per hebd. *Veteris Testamenti capita selecta historica* interpretabitur interpretandasque proponet h. X.

II. SCHOLAE ORDINIS IURISCONSULTORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

RUDOLPHUS DE IHERING, Dr., privatim *Pandectarum partem secundam (ius quod attinet ad res)* tractabit quater per hebd. h. XII—I.

RICHARDUS WILHELMUS DOVE, D. Dr., privatim *Ius ecclesiasticum* et Evangelicorum et Catholicorum sexies per hebd. h. VIII—IX tractabit; *Ius publicum Germanicum* quinquies per hebd. h. IX—X docebit.

CAROLUS ED. ZIEBARTH, Dr., *Ius criminale* h. VIII; *Processum criminalem* h. X; *ius privatum borussicum* h. XI quaternis per hebd. scholis tractabit; *Exercitationes criminales* instituet die Merc. h. IV—VI.

FERD. FRENSDORFF, Dr., *Ius mercaturae cum iure cambiali et maritimo* h. XI—XII quater per hebd.; *Ius quo civitates Germaniae, imprimis regnum Borussorum, administrantur* diebus Martis, Iovis et Veneris h. XII—I tradet; *Exercitationes quae ad ius mercaturae spectant* die Martis h. VI publice moderabitur.

C. LUDOV. DE BAR, Dr., privatim *Ius gentium* tradet die Mercurii h. XII—I et die Saturni h. XI—I; publice *Concursum creditorum* tractabit die Mercurii h. XI—XII.

FERD. REGELSBERGER, Dr., privatim *Historiam iuris Romani* docebit diebus Lunae, Iovis, Veneris h. III—IV; *Iuris pandectarum part. I (principia generalia, ius obligationum et de pignoribus et hypothecis)* tractabit dieb. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. VIII—X; *Exercitationes practicas* moderabitur die Martis h. IV—VI.

IOHANNES MERKEL, Dr., privatim *Institutiones iuris Romani* docebit diebus Lunae, Mart., Merc., Iov., Ven. h. IX—X; *Pandectarum partem de iure hereditario et iure familiae* tradet dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. X—XI; *Exercitationes exegeticas in libris Digestorum* moderabitur die Lunae h. V—VII; publice et gratis *Principia modi in iure procedendi secundum ius Romanum* delineabit die Merc. h. X—XI.

VICTOR EHRENBERG, Dr., *Ius privatum Germanicum* tractabit quinquies per hebd. h. III—IV; *Historiam iuris Germanici* diebus Lun., Iov., Ven. docebit h. IV—V.

GEORG. DETMOLD, Dr., privatim *Processum civilem* tradet diebus Lunae, Martis, Merc., Ven. h. III; *Exercitationes practicas processus civilis* moderabitur die Iovis h. IV—VI.

b. *Professoris honorarii.*

THEOPHILUS PLANCK, Dr., lectiones non habebit.

c. *Privatim docentium.*

LUDOVICUS GOLDSCHMIDT, Dr., lectiones non habebit.
FRID. ANDRÉ, Dr., lectiones non habebit.

III. SCHOLAE ORDINIS MEDICORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

EWALDUS HASSE, Dr., lectiones non habebit.
G. MEISSNER, Dr., *Physiologiae experimentalis partem alteram (systematis nervosi*

atque organorum sensus physiologiam) tradet h. X quotidie; *Exercitationes practicas* in instituto physiologico moderabitur quotidie horis commodis.

LUDOV. MEYER, Dr., *Scholam psychiatricam* more solito habebit diebus Lunae et Martis h. IV—VI; *Psychiatriam forensem* docebit horis commodis.

WILHELMUS EBSTEIN, Dr., privatim *Scholas clinicas medicas* moderari perget quinquies diebus h. X½—XII et die Saturni h. IX¼—X¾; *Pathologiae et therapiae specialis* partem dimidiam tractabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IV—V.

GUILELMUS MARMÉ, Dr., privatim *Pharmacologiam atque artem formulas medicas rite concinnandi* adiunctis *exercitationibus practicis formulas rite conscribendi et dispensandi* ter per h. h. II—III dieb. Martis, Mercurii et Veneris docebit; *Toxicologiae specialis part. I* studiosis medicinae eruditioribus bis per h. die Lunae et Veneris h. VIII tradet; *Disquisitiones pharmacologicas* in instituto pharmacologico quotidie moderari perget.

FRANCISCUS KÖNIG, Dr., privatim *Exercitationes practicas in clinico chirurgico* moderabitur quotidie h. IX½—X¾; *Operationes chirurgicas* docebit *cum demonstrationibus* diebus Lunae et Iovis h. VI; publice *Exercitationes policlinicas* semel moderabitur cum Prof. ROSENBACH.

I. ORTH, Dr., publice de *Anatomia pathologica organorum uropoëticorum* disseret semel d. Lunae h. XII—I; privatim *Anatomiae pathologicae partem specialem* docebit quater per hebd. d. Mart., Merc., Iov., Ven. h. XII—I; privatissime *Demonstrationes pathologico-anatomicas* bis d. Merc. et Sat. h. II—IV habebit et *Exercitationes histologiae pathologicae microscopicas* bis d. Mart. et Ven. h. VI—VIII moderabitur.

FR. MERKEL, Dr., publice *Examinatorium anatomicum* horis commodis habebit, privatim *Anatomiae c. h. partem I* quotidie h. XII—I; *Anatomiam topographicam* diebus Martis, Iovis, Veneris h. II—III; *Artem cadavera secandi* quotidie h. IX—IV tradet.

GUSTAVUS WOLFFHÜGEL, Dr., privatim *Hygienen experimentalem* tradet quinquies per hebd. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. V—VI; publice et gratis *Capita selecta hygienes* tractabit die Martis h. VI¼—VII¼; privatissime *Cursus practicos bacteriologiae* habebit horis commodis et *Disquisitiones* in instituto hygienico moderari perget.

MAX RUNGE, Dr., *Clinicen et policlinicen obstetriciam et gynaecologicam* habebit quater per hebd. h. VIII—IX; *Explorationes obstetricias et gynaecologicas* bis tractabit h. IV—V; *Theoriam obstetriciae* bis h. III—IV; *De morbis mulierum* bis h. IV—V; publice *De morbis primarum dierum* semel per hebd.

HERMANNUS SCHMIDT-RIMPLER, Dr., privatim *Exercitationes ophthalmiatricas clinicas* habebit dieb. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I; *Operationes* horis posthac definiendis; privatim *Cursum ophthalmoscopiae et operationum* instituet Mercurii, Saturni h. XII—I, Iovis h. VIII½—IX½; publice *Exercitationes policlinicas* habebit die Saturni X½—XI½.

b. *Professoris ordinarii honorarii.*

HUBERTUS JACOBUS ESSER, Dr., privatim h. IX—X quinquies per hebd. *Anatomiam et Physiologiam animalium domesticorum* item *Doctrinam de morbis eorum internis* docebit: publice horis commodis *Demonstrationes clinicas* in nosocomio veterinario habebit.

c. *Professorum extraordinariorum.*

G. HERBST, Dr., *Physiologiam*, experimentis et demonstrationibus microscopicis illustratam, senis per hebd. scholis h. X—XI docebit.

C. F. LOHMEYER, Dr., *Chirurgiam specialem* quinquies per hebd. h. VIII—IX leget.

THEODORUS HUSEMANN, Dr., privatim *Pharmacologiam et generalem et specialem* quater per hebdom. horis postea indicandis tradet; publice *Exercitationes formulas medicas rite concinnandi* die Iovis h. III—IV moderabitur.

F. I. ROSENBACH, Dr., privatim *Chirurgiae specialis capita* selecta ter per hebd.; *Exercitationes diagnosticas chirurgicas*, publice *Exercitationes chirurgicas policlinicas.*

OTTO DAMSCH, Dr., privatim *De methodis disquisitionis clinicae physicis* dieb. Lun., Merc., Vener. h. V—VI; *Practicum de methodis sanandi physicis* dieb. Lunae et Iovis h. VI—VII; *Exercitationes laryngoscopicas* habebit diebus Merc. et Saturn. h. XII—I; publice *Scholas policlinicas* quotidie h. XII moderabitur; *Colloquia policlinica* habebit hora commoda.

KURD BÜRKNER, Dr., privatim *De morbis aurium adiunctis exercitationibus practicis otoscopicis* exponet bis per hebdom. diebus Martis et Veneris h. II—III; *Exercitationes otiatricas policlinicas* eruditiorum consueto modo h. XII—I quotidie moderabitur.

d. *Privatim docentium.*

FELIX DROYSEN, Dr., *Physiologiam et pathologiam puerperii* semel privatim tractabit.

OTTO HILDEBRAND, Dr., privatim *Exercitationes in vinculis applicandis* habebit ter per hebd.; *De fracturis et luxationibus* disseret semel per hebd.; *Herniarum doctrinam* tradet semel per hebd. gratis.

I. DISSE, Dr., privatim *Osteologiam et syndesmologiam* diebus Lunae, Mercurii, Saturni h. XI—XII moderabitur; *Exercitationum microscopicarum alteram partem* diebus Mart. et Iovis h. IV—VI habebit; publice *Anatomiam cerebri* tradet die Lun. h. II—III.

ARTHURUS NICOLAIER, Dr., privatim disseret *De disquisitione lotii et sputi cum demonstrationibus et exercitationibus practicis* bis p. h. horis commodis; *De morbis infantum* bis p. h. die Iovis V—VI et altera hora definienda.

IV. SCHOLAE ORDINIS PHILOSOPHORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

GEORGIUS HANSSEN, Dr., lectiones non habebit.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., lectiones non habebit.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., publice in seminario regio archaeologico *selecta artium opera* tractabit die Lunae h. XII—I.

HERMANNUS SAUPPE, Dr., publice regii seminarii philologici sodalibus *Plutarchi vitam Periclis* explicandam proponet dd. Lunae et Iovis h. XI atque disputationes de commentationibus eorum cum U. DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF collega reget d. Mercurii h. XI, exercitationes regii *seminarii paedagogici* dd. Martis et Veneris h. XI moderabitur; privatim *Demosthenis orationem de corona* interpretabitur, dd. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IX.

FRIDERICUS GRIEPENKERL, Dr., privatim *Doctrinam de pecudum fetura* dd. Lun. et Mart. h. V—VI; publice *de animalium domesticorum varietatibus* d. Merc. h. V—VII; privatim *agriculturae systemata* dd. Iov. et Ven. h. V—VI tradet; *Excursiones ad theoriam illustrandam spectantes* instituet.

MAURICIUS STERN, Dr., lectiones non habebit.

ERNESTUS SCHERING, Dr., *Theoriam functionum analyticarum* docebit quater per hebd. dd. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IX—X; in regio seminario mathematico-physico *Theoriam instrumentorum magneticorum* publice die Veneris h. VI exponet; privatissime gratis *Observationes magneticas* in observatorio GAUSSIANO die Veneris h. VII p. m. una cum W. FELGENTRAEGER assistente moderabitur.

IULIUS BAUMANN, Dr., privatim *Logica* docebit duce libro suo „Elemente der Philosophie“ diebus Iovis et Veneris h. V; *Historiam recentioris philosophiae* explicabit praemissa brevi narratione de patrum ecclesiasticorum scholasticorumque placitis duce libro suo „Geschichte der Philosophie nach Ideengehalt und Beweisen“ diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V; publice quaeret, quae hodie fundamenta decretis tum de natura rerum tum de vita recte instituenda secundum scientiarum regulas faciendis subiicienda sint, die Mercurii h. IV.

ERNESTUS EHLERS, Dr., privatim *Anatomiam comparatam* d. Lun., Mart., Iov., Ven. h. IV—V docebit; *Cursum zootomicum* dieb. Mart. et Merc. h. X—XII instituet; *Exercitationes zoologicas* quotidie (excl. d. Sat.) h. IX—I sueto more moderabitur; *Societatem zoologiam* provectioribus gratis offert.

CAROLUS DILTHEY, Dr., privatim *Artis statuariae graecae historiam* usque ad Alexandri magni successores narrabit dieb. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I; publice *Exercitationes archaeologicas* habebit die Saturni h. X—XII.

CHR. AUG. VOLQUARDSEN, Dr., privatim *Historiam Graecorum inde a bellis Persicis* enarrabit quater per hebd., diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. VIII—IX a. m.; publice *Exercitationes historicas* moderabitur die Martis h. VI—VII p. m.

HERMANNUS WAGNER, Dr., privatim *Geographiam Germaniae* tractabit quater per hebd. h. XI—XII; pivatissime *Exercitationes cartographicas* moderabitur die Sat. h. X—XII.

A. DE KOENEN, Dr., privatim docebit *Geologiam* quinis horis; *De nonnullis fossilium ordinibus* semel per hebd.; publice *Exercitationes* quotidie privatissime et gratis.

G. E. MÜLLER, Dr., *Psychologiam* docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IV—V; *Disquisitiones psychologicas experimentales* privatissime et gratis moderabitur.

LUDOVICUS WEILAND, Dr., privatim enarrabit *Historiam Francogallorum inde ab Hugone Capet usque ad a. 1789*, diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IX—X; *Fontes historiae Europaeae medii aevi usque ad a. 1250* explicabit eisdem diebus h. X—XI; privatissime et gratis *Exercitationes historicas* moderabitur die Veneris h. VI.

EDUARDUS RIECKE, Dr., *Physices experimentalis* partem alteram, theoriam electricitatis et caloris tradet diebus Lun., Mart., Iov., Ven. h. V—VI; in Seminario mathematico-physico *Physices tam experimentalis quam mathematicae* partes tractabit selectas die Merc. h. IX—X; in laboratorio physico una cum W. VOIGT et W. NERNST collegis *Exercitationes practicas* instituet sueto more diebus Mart. et Ven. h. II—IV, die Saturni h. IX—I.

F. KIELHORN, Dr., privatim selectos *Rigvedae* hymnos interpretabitur, dieb. Lun., Merc., Sat. h. VIII; linguae Sanscritae elementa tradere perget et *Raghuvançam* Kâlidâsae carmen interpretandum proponet, dieb. Lun., Merc., Sat. h. IX; privatissime sed gratis *Inscriptiones Indicas antiquissimas* explicabit, bis per hebd. horis commodis.

A. KLUCKHOHN, Dr., privatim *Historiam Borussorum* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IV; privatissime sed gratis *Exercitationes historicas* moderabitur die Lunae h. VI.

E. STEINDORFF, Dr., privatim *Palaeographiae latinae* partem posteriorem (a saeculo XII. deductam) docebit diebus Lunae et Martis h. X; privatim *De Sigillis per medii aevi saecula usitatis* disseret diebus Iovis et Veneris h. X; privatissime sed gratis *Exercitationes palaeographicas* instituet die Mercurii h. X.

MAURICIUS HEYNE, Dr., privatim *Syntaxin nostrae linguae* docebit ter p. hebd., die Lun., Merc., Vener. h. V—VI; *Historiam dramatis theotisci usque at finem saeculi XVI* narrabit bis p. hebd., die Mart. et Iovis h. V—VI; in seminario regio *Carmen epicum Conradi Herbipolensis*, quod inscribitur ENGELHARD interpretandum proponet die Ven. h. XII; in proseminario *Exercitationes palaeotheotiscas* tironibus offert die Sat. h. XII.

U. DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, Dr., publice in seminario philologico *Ciceronis de Legibus librum I* interpretandum proponet dieb. Mart. et Ven. h. XI; privatim *Litterarum Graecarum historiam ab Augusto usque ad Severum* enarrabit dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. VIII; *Aristophanes Vespas* interpretabitur h. IV.

WOLDEMARUS VOIGT, Dr., publice *Applicationes hydrodynamices* tractabit in seminario physico-mathematico die Sat. h. X—XI; privatim *Theoriam elasticitatis et applicationes eius ad explicanda phaenomena optica, acustica et piëzoelectrica* tractabit diebus Lun., Mart., Merc., Iov. h. X—XI; privatissime *Exercitationes practicas* in laboratorio physico instituet una cum E. RIECKE et W. NERNST collegis diebus Mart. et Ven. h. II—IV.

GUSTAVUS COHN, Dr., privatim *Oeconomices* partem generalem tradet quaternis diebus per hebd. h. IV; *Redituum publicorum doctrinam* docebit quaternis diebus h. V; *Seminarii politici exercitationes* moderari perget privatissime sed gratis die Mercurii h. IV—VI.

FELIX KLEIN, Dr., privatim in *Geometriam sublimiorem* introducet diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XI—XII; publice in seminario mathematico-physico *Exercitationes analyticas* diriget die Mercurii h. XI—I.

GUILELMUS SCHUR, Dr., privatim *Astronomiae theoricae partem secundam et theoriam perturbationum planetarum* quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. XII tractabit; publice *Astronomiam popularem* die Saturni h. XII tradet; *Exercitationes practicas* in observatorio regio quotidie moderabitur; in seminario mathematico-physico *Exercitationes astronomicas* instituet die Martis h. VII p. m.

GUILELMUS MEYER, Dr., lectiones non habebit.

CAROLUS DZIATZKO, Dr., privatim *Historiam artis impressoriae et mercaturae librorum* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis h. III; *Exercitationes bibliographicas* privatissime sed gratis instituet die Veneris h. III.

TH. LIEBISCH, Dr., privatim *Mineralogiae partem secundam* docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I; privatim *Opticen crystallographicam* tradet die Mercurii h. XII—I; publice in laboratorio mineralogico *Exercitationes practicas* instituet.

GODOFREDUS BERTHOLD, Dr., *Anatomiam et historiam evolutionis plantarum* ter per hebd. docebit h. XII—I; *Exercitationes microscopicas et physiologicas* sueto more instituet; *Exercitationes societatis botanicae* publice moderabitur.

GUILELMUS LEXIS, Dr., privatim *Oeconomiae publicae partem specialem* docebit quater per hebd. dieb. Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. X; privatissime et gratis *Exercitationes politico-oeconomicas et statisticas* instituet bis per hebd. h. def.

ALBERTUS PETER, Dr., privatim *De plantarum distributione geographica* disseret quater per hebd. diebb. Mart. et Ven. h. VI—VII$^3/_4$; *Pharmacognosiam* diebb. Mart., Merc., Ven. h. VIII—IX tradet; publice *Cryptogamarum definiendarum artem* docebit d. Merc. h. V—VII; privatim *Exercitationes botanicas microscopicas* tironum in usum diriget d. Saturn. horis antemeridianis; *Cursum pharmacognosticum microscopicum* moderabitur; *Exercitationes botanicas* cum eruditioribus instituet.

RUDOLFUS SMEND, Dr., privatim *Librum Iobi* interpretabitur quater h. X; *Theologiam Veteris Testamenti* docebit, quater h. IV; publice in seminario theologico *Locos Veteris Testamenti selectos* interpretandos proponet die Mart. h. VI.

OTTO WALLACH, Dr., privatim *Chemiae generalis partem anorganicam* (chemiam experimentalem anorganicam) docebit sexies per hebdom. h. IX—X; *Colloquium chemicum* medicinae studiosis offert publice d. Merc. h. III—IV; *Exercitationes chemicas et studia eruditiorum* in laboratorio academico una cum prof. POLSTORFF et prof. DE BUCHKA moderabitur tribus modis, scilicet: *Practicum maius* exhibebit diebus Lun., Mart., Merc., Iov., Ven. h. IX—I et III—IV; *Practicum minus* partim antemeridianis partim pomeridianis horis iisdem diebus reget; *Tirocinium chemiae practicum* medicinae studiosis iisdem diebus offert horis pomeridianis.

FRIDERICUS LEO, Dr., publice in proseminario philologico *Isocratis orationes* interpretandas proponet et de sodalium commentationibus disputationes instituet die Merc. h. IX—XI; privatim *Plauti Militem gloriosum* interpretabitur dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. X.

GEORGIUS LIEBSCHER, Dr., publice *Introductionem in studium rerum oeconomicarum* tradet h. def.; privatim *Agriculturam generalem* d. Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. XII—I; *Pecuariam rem generalem* iisdem diebus h. IX—XII docebit; privatissime *Exercitationes in laboratorio oeconomico physiologico* instituet d. Merc. et Sat. h. XII—I.

GUSTAVUS ROETHE, Dr., privatim *Carmina Gualtheri de Vogelweide* interpretabitur bis per hebd. diebus Lunae et Iovis h. IX—X; *Historiam litterarum theotiscarum inde a Gottschedi initiis usque ad Schilleri mortem* narrabit quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. III—IV; in seminario regio *Goethii carmina lyrica* interpretanda proponet die Martis h. XII—I et *sodalium dissertatiunculas* recensebit die Iovis h. XII—I; in proseminario regio *Eckenolti* carmen epicum, quo *equitis Stauffenbergensis fata* mirabilia exponuntur, tironibus explicabit die Mercurii h. XII—I.

ALBERTUS STIMMING, Dr., privatim *Syntaxin historicam verbi francogallici* tractabit dieb. Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. X—XI; *Historiam linguae francogallicae* docebit dieb. Martis et Veneris h. IX—X; gratis in seminario romano *Exercitationes francogallice disserendi* moderabitur die Lunae h. VI—VIII.

HENRICUS WEBER, Dr., privatim *Arithmeticen sublimiorem* docebit quater p. h.; *De functionum ellipticarum applicationibus* binis p. h. h. disseret; in seminario mathematico publice *Exercitationes analyticas* moderabitur.

IULIUS WELLHAUSEN, Dr., privatim *Historiam Iudaeorum inde a captivitate Babylonica* enarrabit die Lunae et Iovis h. V; publice *Linguam Arabicam* docebit die Lunae, Mercurii, Veneris h. XII; *Linguam Syriacam* docebit die Martis, Iovis, Saturni h. XII.

b. *Professorum honorariorum.*

A. SOETBEER, Dr., lectiones non habebit.

THEODORUS WÜSTENFELD, Dr., lectiones non habebit.

c. *Professorum extraordinariorum.*

CAROLUS BOEDEKER, Dr., lectiones non habebit.

L. DE USLAR, Dr., *Chemiam pharmaceuticam* tradet quater p. hebd. h. III—IV; *Chemiam organicam* in usum medicinae studiosorum docebit quater per hebd. h. IX—X.

B. TOLLENS, Dr., *Chemiae applicationes technicas in usum agriculturae studiosorum* tradet diebus Lun., Mart., Merc. h. X—XI; *Exercitationes practicas* in laboratorio chemico ad agriculturam destinato una cum adiutore, HOSAEUS, Dr., quinquies per hebd. h. VIII—XII et II—IV moderabitur.

D. PEIPERS, Dr., privatim *Introductionem in Kantii philosophiam criticam* dabit, diebus Martis, Iovis, Veneris h. VIII; publice *I. Lockii paedagogicam* exponet secundum librum eius qui inscribitur Some thoughts concerning education, die Saturni h. XII.

IULIUS EDUARDUS REHNISCH, Dr., publice *Philosophiam post Kantium inter Germanos excultam* adumbrabit die Mercurii h. XII; privatim *Logicen* docebit diebus Martis, Veneris et Saturni h. XII.

CAROLUS POLSTORFF, Dr., privatim *Chemiae pharmaceuticae partem anorganicam* diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. IV—V tradet; *Nutrimenta depravata* quomodo cognoscantur diebus Lunae et Mercurii h. XI—XII exponet; *Colloquium chemicum* cum pharmaciae studiosis horis commodis bis per hebd. publice habebit.

FRIDERICUS BECHTEL, Dr., publice *Zarathuštrae* quae feruntur carmina sodalibus proponet, die Saturni h. XII; privatim *De origine et historia formarum linguae Graecae* disseret, diebus Martis, Iovis, Veneris h. IX.

CONRADUS LANGE, Dr., privatim *Historiam artis inde a saeculo XVI usque ad saeculum XIX* tradet binis per hebd. scholis die Martis h. II; publice *De iuventute artibus edocenda* disseret die Iov. h. VI.

OTTO FREIBERG, gratis *De arte componendi* binis horis per hebd. disseret atque *Artis symphoniacae exercitationes* instituet.

RICHARDUS PIETSCHMANN, Dr., privatim enarrabit *Historiam Aegypti* diebus Mart., Ven. h. V; publice *De Aegyptiorum scriptura et lingua* disseret hor. comm.

CAROLUS DE BUCHKA, Dr., *Chemiam Benzolideorum* dieb. Martis, Mercurii, Iovis h. VIII—IX docebit; *Colloquium de rebus chemicis* horis commodis habebit.

FRANCISCUS LEHMANN, Dr., *De animalibus domesticis nutriendis* docebit dieb. Iov. et Ven. h. X—XI; *Chemiam physiologicam* tractabit bis per hebd.

ALEXANDER BACKHAUS, Dr., privatim *De rationibus et taxationibus in re rustica adhibendis* disseret diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. III—IV; privatim *Exercitationes oeconomicas* instituet die Mercurii h. III—V; privatim *De rusticis machinis et instrumentis* docebit die Saturni h. VIII—IX.

WALTHER NERNST, Dr., *Doctrinam affinitatis chemicae* diebus Lunae et Iovis h. VI privatim; *Stereochemiam* die Merc. h. V publice docebit; *Exercitationes physicas* Sat. die h. IX—I, *physico-chemicas* cotidie una cum E. RIECKE; *Exercitationes affinitatis chemicae* privatissime duabus horis commodis habebit.

LAURENTIUS MORSBACH, Dr., privatim *Cynewulfi poetae anglosaxonici Elenen* interpretabitur bis d. Merc., Sat. h. XI; *Syntaxim historicam linguae anglicae* exponet quater dieb. Lun., Mart., Iov., Ven. h. XI; gratis in seminario anglico sodalibus *Shaksperii „Sonnets“* interpretandos proponet d. Ven. h. VI—VIII; in proseminario anglico *Artis phoneticae nec non linguae anglicae recentioris studiis* tirones initiabit d. Iovis h. VI—VIII.

ARTHURUS SCHOENFLIES, Dr., privatim *Calculum differentialem et integralem* docebit dd. Lun., Mart., Merc., Iov., Ven. h. XII; publice *Exercitationes geometricas* moderabitur, die Sat. h. IX—I.

d. *Privatim docentium.*

MAXIM. FESCA, Dr., lectiones non habebit.

OTTO HAMANN, Dr., lectiones non habebit.

HERMANNUS HENKING, Dr., lectiones non habebit.

ALFR. KOCH, Dr., *De bacillorum et saccharomycetum natura* privatim docebit d. Lun. h. VI; *Exercitationes practicas de bacillorum cultura* duabus horis commodis instituet.

K. RUEMKER, Dr., *De melioratione plantarum rusticarum II* bis per hebd. privatim diebus Martis et Veneris tradet h. IV—V.

HENRICUS BURKHARDT, Dr., *Mechanicen analyticam* privatim exponet nec non *Exercitationes* instituet quinquies h. X; *De Gaussii scriptis* disseret gratis die Lunae h. VI.

PAULUS DRUDE, Dr., lectiones *De theoria lucis electromagnetica* habebit diebus Lunae et Iovis h. IV.

ALFREDUS GERCKE, Dr., publice interpretabitur *Herodae mimiambos* dierum Martis et Iovis h. V; privatissime sed gratis *Exercitationes philologas* instituet Veneris diei h. VI—VIII.

OTTO BÜRGER, Dr., privatim disseret *De Disciplina Darwinii* bis; publice *De parasitis hominis* semel.

FRIDERICUS SCHUMANN, Dr., capita selecta *Psychophysicae* gratis exponet diebus Martis et Veneris h. V; *Exercitationes psychophysicas* instituet diebus Lunae et Iovis h. II—IV privatissime et gratis.

L. AMBRONN, Dr., privatim *Astrophysicen* tradet diebus Lunae et Iovis h. III; privatissime sed gratis *Exercitationes practicas, quae ad geodaesiam spectant* habere perget hora definienda.

FRIDERICUS POCKELS, Dr., privatim *Opticen mathematicam crystallorum* tractabit diebus Martis et Veneris h. IV—V.

Hora	O. THEOLOGORUM.	O. IURIS CONSULT.	O. MEDICORUM.	O. PHILOSOPHORUM.
2–3	Sem. catech. (1) *Wiesinger*. Sem. catech. (1) *Knoke*.		Pharmacol. (3) *Marmé*. Demonstrat. anatomico-pathol. (2) *Orth*. Anatom. topogr. (3) *Merkel*. De morbis aurium (2) *Bürkner*. Anatom. cerebri (1) *Disse*.	Exerc. pract. (2) *Riecke, Voigt, Nernst*. Exerc. pract. (5) *Tollens*. Hist. artis s. XVI—XIX (2) *Lange*. Exerc. psychophys. (1) *Schumann*.
3–4	Hist. dogm. christian. (5) *Tschackert*.	Hist. iur. Rom. (3) *Regelsberger*. Ius priv. Germ. (5) *Ehrenberg*.	Demonstr. anatomico-pathol. (2) *Orth*. Theoria obstetr. (2) *Runge*. Exerc. form. med. (1) *Husemann*. Chirurg spec. part. sel. (3). Exerc. diagn. chir. (2) *Rosenbach*.	Exerc. pract. (2) *Riecke, Voigt, Nernst*. Hist. art. impress. et merc. libr. (3). Exerc. bibliogr. (1) *Dziatzko*. Colloq. chem. (1). Pract. mai. (5) *Wallach*. Hist. litt. germ. rec. (4) *Roethe*. Chem. pharm. (4) *de Uslar*. Exerc. pract. (5) *Tollens*. De ration. et taxat. in r. r. (4). Exerc. oecon. (1) *Backhaus*. Exerc. psychophys. (1) *Schumann*. Astrophys. (2) *Ambronn*.
4–5	De Pauli theol. (2) *Wrede*.	Exerc. crim. (1) *Ziebarth*. Exerc. pract. (1) *Regelsberger*. Hist. iuris Germ. (3) *Ehrenberg*. Exerc. pract. proc. civ. (1) *Detmold*.	Schola psychiatr. (2) *Meyer*. Pathol. et therap. spec. I (4) *Ebstein*. Explorat. obstetr. (2). De morbis mulier. (2) *Runge*. Exerc. microsc. II (2) *Disse*.	Fundam. decr. de nat. rer. et vita instit. (1) *Baumann*. Anat. compar. (4) *Ehlers*. Psychol. (4) *Müller*. Hist. Boruss. (4) *Kluckhohn*. Aristoph. (4) *de Wilamowitz*. Oecon. (4). Semin. polit. (1) *Cohn*. Theol. vet. test. (4) *Smend*. Chem. pharm. anorg. (4) *Polstorff*. Exerc. oecon. (1) *Backhaus*. Melior. plant. (2) *Ruemker*. Theor. lucis electrom. (2) *Drude*. Opt. mathem. cryst. (2) *Pockels*
5–6	Theolog. pract. (5) *Knoke*. Ritscheli „Unterricht“ (2) *Weiss*. Epist. Petri pr. (1) *Weiss*.	Exerc. crim. (1) *Ziebarth*. Exerc. pract. (1) *Regelsberger*. Exerc. exeg. in Dig. (1) *Merkel*. Exerc. pract. proc. civ. (1) *Detmold*.	Schola psychiatr. (2) *Meyer*. Hygiene experim. (5) *Wolffhügel*. De method. disquis. clin. phys. (3) *Damsch*. Exerc. microsc. II (2) *Disse*. De morbis infantum (2) *Nicolaier*.	Doctrin. de pec. fet. (2). De anim. dom. var. (1). Agric. syst. (2) *Griepenkerl*. Logica (2). Hist. phil. rec. (3) *Baumann*. Syntax. germ. (3). Hist. dramat. germ. (2) *Heyne*. Redit. publ. (4). Sem. polit. (1) *Cohn*. Cryptogam. defin. (1) *Peter*. Hist. Ind. (2) *Wellhausen*. Hist. Aeg. (2) *Pietschmann*. Stereochem. (1) *Nernst*. Herod. mim. (2) *Gercke*. Psychophys. (2) *Schumann*.
6–7	Sem. exeg. N. T. (1) *Wiesinger*. Exerc. dogm. (1) *Schultz*. Ep. Ioann. (1) *Häring*. Exerc. hist. (1) *Tschackert*. Exerc. hist. (1) *Bonwetsch*. Exerc. exeg. (1) *Weiss*.	Exerc. iur. publ. Germ. (1) *Frensdorff*. Exerc. exeg. in Dig. (1) *Merkel*.	Pharmacol. (3) *Marmé*. Operat. chir. (2) *König*. Exerc. histol. pathol. pract. (2) *Orth*. Capita sel. hygien. (1) *Wolffhügel*. Practic. de meth. sanandi physic. (2) *Damsch*.	De anim. dom. var. (1) *Griepenkerl*. Sem. math. (1) *Schering*. Exerc. hist. (1) *Volquardsen*. Exerc. hist. (1) *Weiland*. Phys. exper. II (4) *Riecke*. Exerc. hist. (1) *Kluckhohn*. De plant. distrib. geogr. (2). Cryptogam. defin. (1) *Peter*. Sem. theol. vet. test. (1) *Smend*. Sem. rom. (1) *Stimming*. De invent. artib. edoc. (1) *Lange*. Doctr. affin. chem. (2) *Nernst*. Sem. angl. (1) Prosem. angl. (1) *Morsbach*. Bacill. et saccharom. nat. (1) *Koch*. Gaussi scripta (1) *Burkhardt*. Exerc. philol. (1) *Gercke*. Chem. pract. II (1) *Lorenz*.
7–8	Sem. exeg. N. T. (1) *Wiesinger*. Exerc. dogm. (1) *Schultz*. Ep. Ioann. (1) *Häring*.		Exerc. histol. pathol. pract. (2) *Orth*.	Obs. magn. (1) *Schering*. Sem. math. (exerc. astron.) (1) *Schur*. De plant. distr. geogr. (2) *Peter* (7—7$^{3}/_{4}$). Sem. rom. (1) *Stimming*. Sem. angl. (1). Prosem. angl. (1) *Morsbach*. Exerc. philol. (1) *Gercke*.

Scholae, quarum horae non indicatae erant, in hoc conspectu commemorari non potuerunt.





